Programm
des
Gymnasiums zu Wittenberg
Ostern 1869
womit
zu der öffentlichen Prüfung der Schüler
am 19. März Vormittags 8 Uhr
und
zur feierlichen Entlassung der Abiturienten
Nachmittags 3 Uhr
ehrerbietigst und ergebenst
einladet

Albert Rhode,
Director des Gymnasiums.

Inhalt:

Wittenberg 1869.
Druck von Bernhard Heinrich Rübener.

De Aeschyli figurata elocutione.

Quaerentes, quae causae efficiant, ut poetae nos tantopere delectare et commovere possint, facillime cognoscemus, hac in re plurimum valere et rerum, quae in carminibus tractentur copiam et sermonis verborumque elegantiam atque ornatum. Etenim apertum est, tum demum poetam se praebere egregium, quum intellexerit, de re aptissima ornate copioseque se dicere. Quis enim neget, vel optime cogitata et res gravissimas, ut ita dicam, frigere, nisi ita expressa sint, ut etiam sermone ac usu dicendi audientium animos alliciant. Quae quum ita sint poetae eiusque artis antistitis est, studere, ut non solum quadam rerum et sententiarum copia sed etiam splendore eniteat animisque hominum ab omni parte satisfaciat; atque his concessis accuratius disquirendum est, quomodo ille poetarum sermo atque usus dicendi tantopere commovere possint auditorum animos. Quamquam enim iam verborum numerose cadentium dulcis sonus voluptate nos perfundit et incitat, ut libenter versemur in carminibus poetarum audiendis legendisque, tamen altius causa nobis repetenda esse videtur, qua fieri potuerit ut non solum sententiarum abundantia, sed etiam orationis splendor nos quasi secum auferant et sub poetae potestatem redigant.

Nonne ei quasi obnoxii modo laetitia exsultamus modo timore luctuque correpti trepidamus? Quaecumque ille dixit, iam dudum quidem nos per caliginem quasi vidisse, nunc vero primum e tenebris eruta et in clariorem lucem producta, perspecta ac cognita nos habere, nobis persuasum est; poetae enim magna sui ingenii vi sententias ita exprimunt, ut non solum perspicuae fiant, sed etiam, quas cogitatione res depingant, verae esse videantur. Quod iam illi maxime eo efficiunt, quod sententias ac cogitata illustrant copia exemplorum et imaginum, quae modo aptissime efficta sint, auditores eo perducunt, ut quas nunc audiant sententias probatas esse pro certo habeant. At alia quoque causa poetae commoventur, ut quas dicimus imaginibus utantur; etenim quum non tam utilitati quam pulchritudini operam navent, valde cavendum est, ne credamus, illos id solum agere, ut his sermonis quasi luminibus bene cogitata plana faciant, immo maxime student, iisdem illustrare atque ornare orationem. Qua in re optimo cuique poetae maxima adhibenda est diligentia, ut carminum sermonem perpoliat ac perficiat, quamquam inter omnes constat, in artificum operibus maximi esse indolem, quae deorum ipsorum donum illos vates reddit et novi pulchriorisque mundi creatores. Qua imaginandi vi praediti non possunt, quod ad rerum copiam ac varietatem attinet, plane fere non abhorrere a communis sensus consuetudine, ita ut, quae sit eorum indoles, statuant, omnia rerum genera divino quasi vinculo coniuncta animo esse repleta. Qua de re consentiunt cum populi ipsius sensu, qui ex antiquo etiam tam iis, quae omni animo carent, quam bestiis animum ac mentem addere et, id quod cuiusvis populi sermo satis superque nos edocet, hanc opinio-

nem verbis fabulisque exprimere solet. Qui enim aliter explicandum est, plurima verba ab initio pertinere quidem ad ea, quae sub adspectum veniant, et postea demum translata esse ad res caecas et ab aspectu remotas? Poeta igitur, sive animos mentesque hominum excitaturus sive tantum operibus suis ornatum additurus utitur studio quodam hac translationum copia, quam ipsi sermo popularis suppeditat, eam insuper exaggerans imaginibus ac permultis similibus, quae aut ipse nova paruit, aut sua fecit ab aliis imaginandi artificibus effícta. Qua ex abundantia fere translationum et imaginum tempori et populi moribus atque ingenio, quorum quasi est interpres, assentiens summa diligentia et intelligenti iudicio eas elegit, quas ad res illustrandas et sermonem ornandum aptissimas habet. Huc accedit, quod, ut par est, metaphoras quas dicimus, plerumque adscivit earum rerum, quarum notitiam sibi accuratissimam per vitae cursum ipse paravit. Et revera perlustrantes copiam imaginum, quibus poeta aliquis utitur, certe mox animadvertimus, quo magis delectatus sit aliquo rerum genere, eo magis eum copiam imaginum et translationum inde traxisse. Qua in re diiudicanda opus est magna cautione. Etenim quum non solum quotidianus sermo poetae subministret materiam uberrimam sed etiam quos sequitur prioris aetatis autores, facile est intellectu, eum tam saepe per improvisum quasi illas adhibuisse quam de consulto novas effinxisse aut iam divulgatis usum esse.

Praeter hanc vero difficultatem quam iam ipsi commemoravimus, alteram superare debemus. Translationes enim, quibus poetae sive de industria sive consuetudinem sermonis tantum secuti orationem exornant, quum saepius non perpolitae et confectae non tam exprimant aliquam rem, quam affectent similitudinem quandam eamque levem vel imitationem tantum surripiant, in quoque iis diiudicandis maxima cautione carere non possumus, ne a vero longius aberremus. Itaque quum nobis propositum sit, de Aeschyli figurata elocutione disserere et, quas apud eum invenire potuimus, imaginibus collectis rationem ac normam statuere, quam secutus hanc illamve rem adsciverit ad ornandum et illustrandum sententias et sermonem, fieri non potest, quin timore maximo afficiamur, ne aut imagines credamus, quae tunc temporis iam ad quotidiani genus sermonis accesserant, aut ab Aeschylo ipso partas, quae iam antea a populo vel poeta aliquo veterrimo inventae atque dictae sint. Res sane ardua, maxime in tanta librorum iactura, quum etiam nos qui locupletissima lingua utimur, saepissime de prima eius verborum notione ac vi dubitare cogamur. Nihilominus ipsa rei difficultas incitat animum, eoque minus propositum ommittendum est, quo magis sperare licet, fore ut a recta via aberranti mihi venia detur. Itaque collegi et quae in Aeschyli tragoediis insunt imagines et translationes, quas quantum videre potui Aeschylus non ex sermonis consuetudine vel ex copia priorum poetarum mutuatus est, sed sua imaginandi facultate ipse effinxit; at metaphoras quidem, quippe quum reliquiae quasi vel lineae imaginum sint, eodem modo quo proberbia orta esse ex fabulis nobis persuasum habemus, haud iniuria illis expressis ac perpolitis imaginibus addidisse mihi videor. Quibus in ordinem redactis atque perpensis fortasse certi aliquid statuere poterimus de Aeschyli moribus vitaque et de ratione eius sermonis. Non solum enim ex imaginibus, quoad insignes sunt audacia, vel se novas praestant, vel accuratissime res exprimunt, quas imitantur, vel denique leviter similitudinem attingentes frigore quasi laborant, sed etiam ex generibus rerum, unde repetitae sunt, vel ex studio, quo in iis deformandis poeta versatur, coniecturam facere possumus de eiusdem moribus atque indole, neque audacius esse videtur contendere, quum maximum comparationum numerum ex iis rebus eum traxisse, quas per vitam accuratius perspexerit, quisquis sane concedat, inde cognosci posse, qualem vitae cursum tenuerit. Et Aeschyli quidem perlustratio nos ab utraque parte valde iuvabit, quippe quum abundet novis iisque audacissimis translationibus at simul contrahat et coerceat eas res, unde imagines petierit. Tali autem modo factum est, ut iisdem diligenter examinatis mores indolemque poetae per-

spicere possemus. Maxima parte illae haustae et libatae sunt ex rebus, quae sensus feriunt, aeque ac apud alios poetas Graecos qui eas intentis oculis, ut aiunt, contemplari atque in eas animum intendere solebant, quamvis liberi essent nimio illo desiderio naturae, quo ardent poetae nostrae aetatis, et carerent admiranda facultate hominum, qui excellunt naturae accuratissima perscrutatione. Quantum tamen laetitiae et voluptatis ex naturae contemplatione Graeci perceperint et quanta animi vi eam perspexerint, non minimum ostendunt translationes, quamquam negare non possumus, raro tantum quum omnes Graecorum poetas versari in describendis naturae rebus, tum Aeschylum eiusmodi sermonis ornamenta eo tantum consilio adhibuisse videri, ut terrorem facinore aliquo excitatum magis magisque augeret. Cuius rei luculentum exemplum invenitur in Promethei vers. **1047—56.** Prometheo ne gravissimis quidem Jovis minis concusso exortam esse fingit poeta maxime terribilem tempestatem: coelum et mare miscentur, terra movetur, caligo crassa et omnia tegens multis fulguribus perrumpitur, simul autem audiuntur tonitrua, imbres cadunt et vento arenae ad coelum usque tolluntur. Quid iam mirum est, si in tanta rerum conversione etiam Titani animus metu repletur eiusque pertinacia frangitur? Eodem modo saepius poeta tempestates et naturae terrores convertit ad animos flectendos, ut in Suppl. v. **33—36**, in Choeph. v. 275, ubi splendidissime mala describuntur, quae Graeciam invasura sunt Apollinis mandatis neglectis. cf. Choeph. v. **579—86**, Ag. **179** et **632**. Jam vero quum eiusmodi descriptiones haud ita paucae sint, eo magis mirari debebis, ne unam quidem inveniri mitioris illius generis, cuius formam et speciem Sophocles in tragoedia, quae inscribitur Oedipus Coloneus, effinxit gloriam suae ipsius patriae verbis exaggerans. Quod sane est Aeschyli proprium; pro sua animi magnitudine et severitate fere neglexisse videtur homines afflictos solari et dolore, quo erant affecti, leniendo erigere. Quae quum ita sint, facile concludere possumus, Aeschylum studuisse, imagines quoque metaphorasque repetere quam plurimas ex procellis similibusque, quae maximos terrores animo iniiciunt et quamquam animadvertimus etiam lenem auram interdum non reiectam esse, tamen maior est numerus translationum, quae terribilia deformant. Et quidem rei conveniens est, ut imagine procellarum effingantur plerumque res adversae, quae homines torquent turbantque. Huc pertinet frequens usus verbi *χειμὼν* cf. Prom. v. **644.**, Ag. v. **649.**, Suppl. v. **167** et prae ceteris Choeph. v. **1063** *τρίτος αὖ χειμὼν πνεύσας γονίας ἐτελέσθη*, ubi miseria ex familiae stirpe coorta intelligenda est. (Cf. Todtii commentationis de Aeschylo vocabulorum conditore, quae Halae prodiit a. **1855**, p. 10.) Similis est vis, quam habent verba *χειμάζεσθαι* in Prom. v. 562, (quode conferendus est Lobeckius in Phrynicho p. 271.) *δυςχειμέρους ἄτας* in Choeph. v. 271, et si Blomfieldii explicationem sequimur *δύςχιμος* in Pers. v. 562. Porro pestis impetus similis est procellae in Pers. v. 716 et sic saepius.

Auram vero lenem ac nautis secundam praebere Atheniensi maris haud ignaro imagines ad indicandas res felices atque hominibus faventes, eosque post tot discrimina rerum prosequentes ad portum securum, discimus ex tractatione verbi *οὐρίζειν* et quae sunt eiusdem notionis cf. Choeph. v. 316, Pers. v. 605: *τὸν αὐτὸν ἀεὶ δαίμον' οὐριεῖν τύχης*, Prom. v. 969, ubi *κατουρίσας* optime ab Hermanno restitutum esse videtur, Choeph. v. 864, Eum. v. 137 et quae disseruit Blomfieldius ad Spt. v. 687; eandem fere vim habet vox *ἐπιφορὸς* in Choeph v. **813.** Neque tantum res miseriam aut laetitiam ferentes hac venti imagine exprimuntur sed quaecunque copia impetuque insignes sunt; cuius significationis potissimum sunt vocabula *πνέω* et quae inde deducta sunt *ἐπιπνέω, καταπνέω, πνοὴ, πυρπνόος, πνεῦμα.* Reperiuntur autem apud Aeschylum venti divitiarum (Ag. v. **820**), belli (Spt. v. **63**), gratiae (Ag. v. **1206**) et ex metonymia in Spt. v. **344** *ἐπιπνεῖ Ἄρης*. *Ἡγεμὼν* vero *συμπνέων τύχαις* est dux, qui aequa mente perfert casus fortunae. Quarum translationum copia tanta est adeoque ad genus

quotidiani sermonis accedit, ut eas omnes afferre vel pluribus verbis de iis disserere supervacaneum sit atque satis habeam me commemorasse *πυρπνόον βέλος*, quod pro fulmine dictum est, et *Πειθὼ μολπὰν καταπνείουσαν* cf. Spt. v. **344**, Ag. v. **188** et alibi. Quod saepissime ad animi affectiones traducitur vocabulum *πνεῦμα* admirationem nostram non magis excitat, quam si alibi dicitur, furore, ira, angore similibusque quasi procellis homines agitari. Itaque his praetermissis statim progredimur ad Agamemnonis v. **1137—42**, ubi vaticinium cum procella comparatur, quum maria turbans undasque ingentes excitans ab omnibus eodem modo conspiciatur, quo vaticinium; quo maiora enim mala hoc praedixerit eo facilius cognosci, vera an falsa praedicta sint: Utrumque igitur vaticinium et procellam ad postremum in claram lucem proruere.

Quibus perpensis haud dubie apparet, quantopere Aeschylus ex hoc rerum genere imagines repetere studuerit, praesertim quum saepius ipse ventorum impetum atque maris pericula expertus esset, quem tradunt iam iuvenem proelio apud Salamina facto interfuisse et postea ter in Siciliam profectum vento atque undis exercitum exagitatumque esse. Hinc porro explicandus est magnus numerus imaginum et translationum, quas ei mare et ars navigandi suppeditavit tanta varietate et ubertate, quantam vix alius poeta assecutus est: Adhibuit autem Aeschylus saepissime verbum *κῦμα* exprimendae abundantiae alicuius rei, cui periculum subiunctum est, ut in Prom. v. 888, Ag. v. **1141**; verbum *ὀχλέω* proprie dictum de ventis, qui undas excitant, dicitur in Prom. v. **1005** de Titano, qui Mercurio respondens: turbas, inquit, me quidem ut ventus undas, allocutus me, at frustra tamen turbas, nam numquam me commovebis, ut quae sciam, tecum communicem et a proposito deflectar. Pari modo tractantur fluctus et undae irae huc illucve fluctuantis (cf. Spt. v. **108**, **1063**, Eum. v. **818**), gloriosi sermonis (in Spt. v. **424**), miseriae (in Prom. v. **1019**: *ἡ τρικυμία κακῶν*) et similia. Aptissimam comparationem effinxit poeta in Pers. v. **88—91**, ubi chorus ait: Persarum classem similem esse undis, quibus Graeci resistere non possint, quantovis virorum flumine (*ῥεύματι φώτων*) eas coercere conantur. In Spt. versibus **107—9** undae pares vocantur animo perturbato, ut alibi mare sedatum exprimit animi quietem. Cf. praeterea quae leguntur in Spt. v. **776** *πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ* et in Ag. v. **712** *φρόνημα μὲν νήνεμον γαλάνας*. His annumerandae sunt porro translationes vocabuli *ἡ ζάλη* ad Typhoeum in Pr. v. **371**, ad aestum in Choeph. v. **684**, si ei non praeferimus, quod libri habent, vocab. *καλῆς*. Ceterum similis est significatio eiusdem vocabuli apud Sophoclem in Aiacis v. **351**. Praeterea inveniuntur mare miseriarum in Prom. v. **747**, cf. Eurip. Hippol. v. **822**, vorax furoris in frgm. **456**; *ἄβυσσος* quale est mare vocantur opulentia in Spt. v. 923 et obtutus in Suppl. v. **1030**. Neque minus quam impetum undarum et procellarum sensit poeta earum clangorem strepitumque et in iis similitudinem multarum rerum perspexit; sic ut alias omittam, dicitur in Ag. v. **991**: *ὑπὸ σκότῳ βρέμει θυμαλγὴς καρδία*, in Choeph. v. **452** *στάσις ἐπιῤῥοθεῖ*, in Spt. v. **173**: *διεῤῥοθήσατ' ἄψυχον κάκην*, alicui ignaviam iniicere, in Spt. v. **7**: *πολύῤῥοθα φροίμια* sunt cantilenae a multis decantatae et in Pers. v. **457**: *ἐξ ἑνὸς ῥόθου* est uno impetu. Eiusdem generis sunt translatae voces *καναχὴς* (Choeph. v. **145** *δάκρυ καναχές*) et *καχλάζω*; effigiem vero expressam procellarum praebent Sept. v. **739** et seqq. Urbs in dies magis multifariis malis turbatur, quae undarum instar fato excitatae ipsae novas gignunt. Contra hoc periculum „ad breve tempus munimentum praebet in bellis turris." Praeterea etiam mutum piscium genus luculenter, ut ita dicam, loquens inducitur, probans quodommodo, poetam saepe per mare vagatum ad eos quoque animum intendisse. Cuius rei testes sunt muraenae mortiferae, quibuscum comparantur scelesti homines, qualis est Clytaemnestra in Choeph. v. **996**. Saepius thynni commemorantur, quos poetam oblectamenti causa persecutum esse, valde probabile est. Etenim respectis iis,

quae Blomfieldius congessit ad Pers. v. **430**, ubi similes vocantur thynni Persis, quoniam utrique catervatim per mare navigantes facillime lignis concussi et contusi occidantur, apparet, accuratissime poetam horum piscium naturam cognitam habuisse, quod affirmatur etiam frgm. **307**, homo enim laboris dolorisque perpetiens dicitur similis esse muto thynno.

Alia huius studii vestigia comprehenduntur in pluribus versibus, quibus ars piscandi accuratius describitur; sic in Ag. v. **343—45** alloquitur chorus noctem, quae retibus coniectis Troiam captam teneat, ut nemo effugere possit servitutis necessitudinem. Alibi attribuitur fortunae rete (in Prom. v. 1082) et Agamemnonis vulneribus dilaceratum corpus comparatur cum reti, cuius imagine effingitur fatalis illa vestis, quae eum impedivit, quominus occisores evaderet cf. Ag. v. 835 et 1342. In Choeph. v. 500 dicuntur liberi similes esse cortici ex arboribus, idem officium praestantes parentibus, quod piscatoribus suber rete ducens et a mergendo cohibens.

Quibus imaginibus multas alias addere possem, si non amissae essent illae Aeschyleae fabulae, quae inscriptae erant: *Δικτυουλκοί* et *Πρωτεύς*. Jam vero, quas in manibus tenemus, fabulae maxima documenta edunt, saepe et magno studio hac in re versatum esse poetam, qui quidem non solum permultas inde peteret similitudines sed etiam describeret praeclaro modo accuratius mare et pericula nautis imminentia cf. Prom. v. **1047** seqq. Ag. v. **139** et **632** et In Suppl. v. **734** appulsum navium ad terram. Cum navi saepissime comparatur respublica; quod simile etiam ex nostra consuetudine est, ita ut *ὁ πρυμνήτης* regem significet in Eum. v. **16** et **735** et in Spt. v. **742**, vel tota urbs *πρύμνα* vocetur; quum puppis quasi caput navigii habenda sit, aptissime in Suppl. v. **958** restituit Hermannus vocabulum *ἐν πρύμνῃ*, intelligendum autem est, quod intimo ac pleno quasi animo facere debemus. In Suppl. v. **776** et seq. urbs dicitur incolumis par esse navi, quae sedato mari secundisque ventis cursum suum tenet; atque eiusdem fabulae versus **190—92** docent, civitatem periculis oppressam non magis servari posse a rege incerti animi quam navem procellis atque undis iactatam a gubernatore consilii experte, peritissimum vero gubernatorem (intelligendus est Eteocles) suam patriam, etiamsi pericula maxima immineant, in portum securum adducturam esse; et Clytaemnestra in illa tumida oratione (cf. Ag. v. **865**), qua salutat effervescentibus et abundantibus verbis suum maritum, eum appellat *σωτῆρα ναὸς πρότονον* et paullo post *γῆν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα*.

Audacia insigne est porro quod invenitur in Ag. v. **1586**: *νερτέρᾳ προςήμενος κώπῃ*, quo ii exprimuntur, qui alicuius imperio subditi sunt aeque ac praepotentes sunt ii, qui in mediis transtris sedes habent cf. Sophoclis Aj. v. **1091** et Aeschyli. Spt. v. **634**. Quum dii et reges gubernatores vocentur (cf. Prom. v. **149**, Ag. v. **170** et 482) non absonum esse videtur, quas illi regant, hominum vitam et fortunam, cum navibus et navigio comparari, itaque in Ag. v. **971—80** enarrat chorus, vitam humanam similem esse mercatori per mare naviganti, qui navi ex inopinato arenis illisa cogatur, aliquantum oneris e nave eiicere, ne una cum illa pereat; sic autem hominem quoque oportere sua sponte saepe commoda multa aspernari, ut partem eorum sibi servet sufficientem ad vitam continuandam. In Suppl. v. **428** efficta est navis miseriis et luctu repleta (cf. Suppl. v. **514**) et in Eum. versu 542 impii poena imagine naufragi, quem, quum vento undisque oppressus in summo rerum discrimine supplicaverit, diu ab ipso neglecti dii irrident; sic quoque improbi, quamvis potens sit, felicitatem naufragium facturam esse ad scopulum iustitiae et fractum iri, ipsum autem nautam interiturum esse a nullo defletum. Neque aliter interpretari possumus similes imagines, quae insunt in Eum. v. **545**, (quocum conferas Soph. El. v. 335, Ant v. 715) Prom. v. **185**. **517**. Alibi describit poeta fabulam de Orco divulgatam, ut in Spt. v. 671, ubi vita defunctus Cocyti undas navi pervehitur et in Ag. v. **482** morem nautarum, ex quo naves noctu ancoris ad ripas alligant. Quocum optime congruit, si hominum vita cum itinere per mare factum comparatur, qua colla-

tione usa Atossa, Persarum regina, in Pers. v. 605 effingit animum hominum inter timorem et spem fluctuantem exemplo nautarum, qui quamquam vix mortis pericula evaserunt, tamen, ubi coelum iterum serenum factum est, sperant, fore ut navis in posterum secundo vento propulsata integra ad portum perveniat. Neque minus prudenter illustratur opinio, probum cum improbo coniunctum una cum hoc interiturum esse imagine boni viri, qui una cum malefico navem conscendens mari devoratur cf. Suppl. v. 583, Choeph. v. 291, Horat. carm. III, 2. 26. Denique annotanda sunt quaedam vocabula, quae proprie ad rem navalem pertinentia postea ad alias res translata spectatores excitant ad similitudinem navium. Quorum est mens gubernator cogitationum vocata in Ag. v. 768; arbitrium vero cylindri simile est, quo navis in mare deducitur in Suppl. v. 423; consilio enim capto in eo est, ut homo in periculosum mare sese iniiciat. Audacissime dictum est in Choeph. v. 385 ἡ πρῴρα καρδίας et ibidem in v. 671 πορθμεύω ἐφέτμας; porro in eiusdem fabulae v. 198 chorus ait, quum nesciat, quid sibi sit faciendum, se esse similem nautis ventis et fluctibus iactatis. Ut saepius consilia hominum cum remis ita quoque comparantur in Spt. v. 583, Choeph. v. 291 amicitia et inimicitia, distrahentes animos hominum, cum remis, qui navem in diversam partem propulsantes eam impediant, quominus cursum conficiat. Quod vero dicitur luctus quoque remis uti, id sane explicari debet inde, quod veteres moerore oppressi sibi genas pectusque dilacerabant. Vide Pers. v. 1015, Spt. v. 832 et 837, ubi Hermanni auctoritatem secuti pro certo habemus, comparatos esse moerentes homines „cum tristi ac funesta illa navigatione, qua perpetuo per Acherontem navalem nigram viam transit ad omnes recipiens ignotum litus.“ Huc pertinet praeterea vocabulum πίτυλος in Pers. v. 918, quod transfertur ad Persas, qui uno impetu morti obviam eunt. At non solum pericula maris ac navigationis cognovit Aeschylus sed etiam hilares, ut ita dicam imagines effinxit; etenim non semper nauta, ne undis obruatur partem opum, quas secum habet, proiicit, immo saepius in portu salvam collocat navem et ipse opulentus et integer in patriam redit; cuius exemplum est Agamemno post multos labores tranquillam vitam nactus cf. Ag. v. 482 et Pers. v. 149, ubi haec leguntur: ὁ λιμὴν πλούτου et ὁ λιμὴν ἑταιρείας. Nobilissima huiusmodi imaginum invenitur in Choeph. v. 647: Orestes enim: ancoras, inquit, demittit viator in domum, iam iam maris pericula superata sunt. Quibus, ut quisque concedet, non minus aptissimis quam poeta dignissimis subjungam nonnullas translationes audaciores quam quae nos delectare possint: Io ab oestro exercita comparatur cum navi remis concitata, Prometheus autem ad saxum artissime vinctus quasi ad ancoras deligatus est. Sed finem faciamus, quum satis superque ostendisse mihi videar, elocutionem Aeschyleam abundare huiusmodi translationibus et quasi redolere peritissimum nautam. Attamen noli credere, Aeschylum ad mare solum animum intendisse; nam per totam naturam, quaecumque adspectu sentiantur, eorum nihil fere eum effugisse ostendunt similitudines permultae, quas apud eum reperimus. Audivit vero non solum fremitum venti vel vidit turgidum mare, sed etiam ad nubes imbribus modo agros irrigantes modo fulmine homines perterrentes, oculos coniecit ad fluvios fontesque consedit eorumque leni strepitu gavisus est, quatumvis calor aut frigus eum cruciaverit. Cuius rei testimonia edunt permultae imagines in fabulis Aeschyleis effictae. Ut vero ab igne incipiamus, huic tam similia sunt furor in Ag. v. 125 et oestri vulnus, quam curae pectus hominum cruciantes in Spt. v. 272; igne probata est prudentia cf. Choeph. v. 598, fulgent et accendunt auditorum animos verba et oculi in Spt. v. 269 et in frgm. 255 neque aliter intelligi possunt ardens desiderium (cf. Suppl. v. 80) et vir fulgens rapinis in Spt. v. 419, quocum conferendus est Soph. Aj. v. 1088.

Miri aliquid inest in verbis, quae leguntur in Pers. v. 390 σάλπιγξ ἐκεῖνα ἐπέφλεγεν et in Ag. v. 925, ubi quin etiam mare extinguitur i. e. exhauritur. At quamvis saepe Aeschylus

eiusmodi metaphoras tractaverit tamen omnes paene nihil novi habent; ideoque sufficit mihi commemorasse praeter eas quas iam attuli, ardentem morbum in Prom. v. 598 atque ea verba quae valent torrere vel fervere, ut αὔω, τήκω, κατασκέλλω, ἰσχναίνω, ζέω, quae saepissime ad alias res transferuntur. Etenim sive loquitur de sententiis virorum urentibus (in Prom. v. 598), sive de vultu, qui dolore quasi accenditur (in Prom. v. 147, cf. praeterea Eum. v. 331, Prom. v. 482 et alios), sive denique furores vel undam ait fervere, concedendum profecto est, ea omnia non pluris esse, quam si alibi disserit de animo, quem amor calefacit et torquet, ut in Agam. v. 590 et 651. Quamquam igitur sine dubio Aeschylus ipse has imagines effinxit, tamen hac in re multo superatur a Sophocle. Quod ut intelligas, conferas nobilissimos illos Aiacis versus 96 et sequentes, ubi exprimitur superbia inimicorum Aiace dormiente in dies aucta igne, qui per ventosos saltus flagrans totam denique silvam corripit et delet incendio. Quae imago profecto non minus insignis est verborum ornatu quam ratione, qua accuratissime res deformantur. Sed pergentes in perlustrandis Aeschyleis imaginibus incurrimus in exemplum, quod Sophocleam artem aequare videtur. Quid enim pulchrius effingi potest, quam comparatio Agamemnonis cum calore, qui hiemis frigus temperat vel cum frigore fervorem aestivum mitiganti? cf. Ag. v. 935—39. Haud ita nos delectant verba χλίω et ἐγχλίω dicta de superbo neque animus gaudio fervens in Suppl. v. 223 et 879 neque protervi vel pavidi, qui verbis θερμὸς et ἀθέρμαντος describuntur, nam haec omnia consentiunt cum nostra dicendi consuetudine. Neque vix aliter iudicandum est de usu translationum a frigore repetitarum, ex quo ψυχεῖν dicitur de iis, quae terrorem iniiciunt in Prom. v. 695 et in Ag. v. 939, denique in Eum. v. 163, ubi τὸ κρύος vocabulum ad animum refrigeratum et torpidum traducitur. Quos frigoris terrores poetam non effugisse maxime cognoscimus comparatis Pers. v. 498 seqq. et Ag. v. 538 seq., in quorum priore loco nuntius splendidissime enarrans causas, quibus factum sit, ut superbissimus Persarum exercitus interiret, addit, maximam quidem eius partem frigoris cruciatu interemptam esse, reliquam vero eius ipsius beneficio, quum coaluisset mare, servatam esse; in Agamemnonis autem versibus depinguntur labores, quibus exercitus Argivorum Troiam per hiemem oppugnans et sub divo versatus frigore acerrimo affectus sit.

Aeschylus praeterea nubes et quae inde defluunt imbres et nives respexit et duplici modo ornando sermoni adhibuit. Ab altera enim parte, quoniam coelum et solis lucem obscurant, iis exprimit pericula et quae sunt eiusmodi, ab altera vero parte quippe quum agros inundent atque quasi alant, accomodavit ea ad imagines copiam et felicitatem effingentes; unde fit, ut apud eum inveniantur δειματοσταγὲς ἄχθος in Choeph. v. 828, ubi in nonnullis codicibus pariter atque in Pers. v. 878 legitur αἱματοσταγές, (στάζειν vero verbum quum non solum de stillante liquore dicatur, equidem censeo illud δειματοσταγὲς vocabulum recte se habere; cf. Ag. v. 166, Choeph. v. 1055), in Eum. v. 791: βρωτῆρας αἰχμὰς δαΐων σταλαγμάτων ἀφεῖσαι, in Choeph. v. 387 δριμυστάκτου καρδίας dolorem stillans seu dolore affectus homo, si non mavis ut Blomfieldius voluit ἄηται cum ἄητας et θεῖον cum οἷον mutare ceteris librorum verbis servatis. Nubes vero deformant hae metaphorae: ὁμίχλη δακρύων in Prom. v. 146, κάκχαλεπᾶς δύας ὑπὲρ τ' ὀμμάτων κρημναμενᾶν νεφελᾶν σαοῖ in Spt. v. 211, quocum conferas Eum v. 370. Alibi ut in Ag. v. 1500 inveniuntur sanguinolentus imber et in frgm. 210 lapides, qui nivium instar proiiciuntur, quibuscum etiam aggredientes hostes ob vestimenta sua alba comparantur in Spt. v. 194. Tum ros est imago cruoris in bello profusi in Ag. v. 1410 (cf. v. 1380); animus autem maestitia oppressus cruciatusque dolore congelatus et satis audacter novitiae leonum δρόσοι ἄεπτοι vocantur cf. Coeph. v. 73 et Ag. v. 133. Habet hoc Aeschylus, ut, quamvis diligenter animum ad naturam intenderit, raro tantum fulgure et tonitru usus sit, ad imagines effingendas; cum fulgure comparatur oculus in Prom. v. 358, tum dira necessitas,

quae fulminis instar domus percellit in Ag. v. 1436 et denique tonat ut terrae motus tympanus in frgm. 58.

Contra Aeschylum valde venando delectatum fuisse facile coniiceres, etiamsi non firmatum esset copia imaginum, quas ei hoc studium praebuit; cuius eo magis ratio habenda est quo minus hac in re Sophocles versatus esse videtur, qui iis usus est fere tantum in Aiacis fabula. Quamquam Aeschyleae tragoediae, cui nomen erat *Τοξότιδες*, fragmenta tantum tradita sunt, tamen etiam illa deperdita in reliquis septem fabulis ingentem fere numerum translationum et imaginum ex arte venandi decerptarum habemus. Quarum agmen ducant arcus et sagittae, quibus similia sunt fulmen in Prom. v. 360 et 373, oculorum obtutus in Ag. v. 225, arma quibus bestiae se defendunt in Suppl. v. 540 et frgm. 176, quin etiam *ἡ οὐράνη* in frgm. 190. Satis vero audacter comparant Furiae in Eum. v. 668 argumenta, quibus Apollinis orationem redarguere conantur, cum sagittis vulnerantibus et in Ag. v. 488 praeco copiose alludens ad Apollinis arma loquitur de arcu mentis, qui intentus cogitationis sagittas iaculatur. Cf. praeterea Suppl. v. 745, Prom. v. 650, Ag. v. 226. Jam quum interdum arcus male fabricatus venatorem decipiat, aptissime exponitur in Ag. v. 372—78, etiam hominem scelestum nimisque suis facinoribus et dolis confisum id non assequi, quo spectaverit, magno cum suo damno intelligentem, se arcu fragili atque sagittis pravis usum esse, at hominem consilii recti et probi compertem venatoris instar ad propositum pervenire cf. Ag. v. 606, 1153, 1329. Similiter in Suppl. v. 429 *γλῶσσα τοξεύσασα μὴ τὰ καίρια* dictum est ad exprimendum hominem pravum et prava quoque locutum quippe frustra arcum mentis tendentem; porro insuperabilis est *ὑπερτοξεύσιμος* cf. Suppl. v. 456, in qua fabula (v. 973) etiam oculi sagittas proiiciunt; *τείνω* vero vocabulum translatum est ad vocem in Pers. v. 574, Ag. v. 833, 1188, ad tempus ibd. in v. 65 atque eodem fere modo in significationem translatam abierunt verba *ὑπερτείνω* et *ἀτενής*, cf. Ag. v. 71 et 934, Eum. v. 200. Aptissime praeterea rete venatorium comparatur cum rebus periculosis quales sunt deorum insidiae, quas nemo effugere potest, in Pers. v. 96, in Prom. v. 265, aut vestimentum illud fatale, quo Agamemno constrictus est. Cf. Ag. v. 1355. Choeph. v. 551.

Canis instar bestias persequentis homo vestigiis iustat mentis in Pr. v. 846 et Cassandra se ipsa appellat in Ag. v. 1146 canem venatoriam describens suam vaticinandi facultatem. Quam eandem ob causam in Choeph. v. 221 hac imagine exprimitur Electra, postquam crines in patris sepulcro iacentes detexit et fratris quasi vestigia reperit. Pentheus vero a Maenadibus divulsus leporis similis vocatur, quem canes dilacerant in Eum. v. 21, quocum conferenda sunt *τὸ ἴχνος λόγων* in Ag. v. 353 et *ἴχνος φρενῶν* in Suppl. v. 987 et *ῥινηλατέω* ibd. in Ag. v. 1144. Huc porro pertinet translatio verborum *θηρᾶν*, cuius passiva forma traducitur ad urbem obsessam in Pers. v. 232 etc., *ἄγρα δορός* in Spt. v. 303 de Thebis captis, *ἄγρευμα*, quae vox apud Aeschylum saepius habet vim retis cf. Ag. v. 1007, Spt. v. 508, *θηρεύω* in Choeph. v. 487, *κυνηγετέω* in Eum. v. 230, ubi eodem modo, quo in Ag. v. 670 seq. Graecorum exercitus, Furiarum agmen cum canibus venatoriis comparatur. Qua magna copia similitudinum a venatione repetitarum perspecta, apparet, eas omnes redolere peritum venandi virum; quam opinionem eo magis probare possumus, quum videamus huius peritiae maxima documenta praeterea edere copiam imaginum animalia repraesentantium, quae adeo expressae sunt, ut cernere et paene tangere illa possimus. Huc accedit, quod illa omnia fere sunt eiusmodi, quae viros incitent ad venationem. Venatoris autem est, animum intendere ad modum quo fera illa atque indomita vitam degant, et ad rationem quae intercedat inter maiores ac praepotentiores bestias et debiliora pavidaque animalia, quae natura illis quodammodo praedam obtulit. Nemo certe, quae illius erat temporis naturae investigatio, nisi venator tam accurate eorum victum

perspexit, quam eum expressit Aeschylus. Priusquam vero sermo delabitur ad imagines ipsas, dicendum est, Aeschyli poetae acerbissimi et gravissimi esse, ut plerumque bestias cruentas depingat, quae dilanient debiliora animalia; cuius rei luculentum exemplum iam attulimus comparationem Penthei a Maenadibus dilacerati cum lepore. Quibus alias postea addo. Nunc vero commemorandae sunt illa monstra, in quibus cogitatione depingendis tempori, quae eius erat superstitio, assensus studio quodam versatus est Aeschylus; potissimum iis abundat Promethei fabula, in qua inducuntur currus pinnatus, chorus filiarum Oceani, in aliis vero fabulis Sphinx et dracones. Quid autem hanc Aeschyli rationem magis indicare potest, quam quod apud eum equus fere non invenitur nisi bellicosus ac pugnae cupidissimus? Etenim quamquam semel, at quidem valde turbato loco, egregie sane effinxit equos inter se celeritate certantes, tamen plurima exempla docent, poetam magis intendisse animum ad equos feroces, quos accuratissime descripsit in Spt. v. 442 et in Prom. v. 1013—15, quibuscum conferas Soph. frgm. 583. Jam vero descendimus ad imagines enumerandas. Cum equo pugnandi cupiditate inflammato comparatur Tydeus in Spt. v. 374, qui paullo ante similis vocatur draconi solis ardoribus excitato; eadem imagine usus est Mercurius in Prom. v. 1013 — 15; ferocitatem enim equorum, qui aurigam fugerunt, aequavit mente obscurata vis cogitandi. Cf. Choeph. v. 1018, Sept. v. 309, Suppl. v. 415, Ag. v. 1611, ubi Aegisthus minatur civibus, se eos labore et fame domiturum esse, quasi sint contumaces equi. Aliis similibus comparationibus praetermissis commemoro effigiem praestantissimam, quae inest (in Pers. v. 188—95) in verbis chori: Graeci et Persae equorum instar sub iugum missi sunt; his tranquille ac patienter flagellam incitantem perferentibus, illi furore et superbia instigati saeviunt totumque currum una cum auriga disiiciunt diruuntque. Neque discrepant cum hac imaginum ratione ἵππου νεοσσοὶ verba in Ag. v. 792, quibuscum Argivi comparantur (cf. ibd. v. 1025—26) et quod dicitur mordere vel homines in Pers. v. 114, 160 etc., vel fatum ibd. v. 848, vel, quod satis audax esse videtur, arma ornamentaque in Spt. v. 673. Non mirum igitur est, si etiam dolor (in Eum. v. 629, in Pers. v. 569) vel desiderium mordet (in Spt. v. 619); at singulare aliquid habent mordax caedes in Choeph. v. 829 et Sicilia, pulcherrima illa insula, Aetnae morsu dilaniata. Similis bestiae vocatur pestis, quae in Graeciam irrutura est, quodsi Apollinis imperiis non obediturus est Orestes in Choeph. v. 278 et Clytaemnestrae nomen τὸ δάκος datur in Ag. v. 1192, ut populus Argivorum urbem devastans ibd. v. 791 et Furiae in Eum. v. 635 verbo τὸ κνώδαλον significantur. Sed sane longum est, omnes eiusmodi comparationes afferre, praesertim quum satis leves sint, itaque malo his breviter perstrictis atque attactis statim descendere ad singulas bestias enumerandas, quarum vestigia inveniuntur in Aeschyli fabulis. Et quidem incipio a fabuloso illo dracone, quacum periculosissima bestia homines ferocissimi comparantur. Qua in re certe memoratu dignum est, Sophoclem hac similitudine rarissime tantum sermonem suum ornasse; Aeschylum vero eam magno cum studio amplexum esse, statim discimus ex illis Choephorarum versibus 143 et seq., ubi Orestes matricida exprimitur draconis imagine. Mater enim sibi visa est per somnium conspicere draconem ipsam necaturum: eandem fere rem enarrans Sophocles mutavit pro suo leniore animo draconem cum arbore umbra sua omnia tegente. Aeschylus vero non solum filium sed etiam ipsam matrem Clytaemnestram mariti occisorem hoc nomine notat in Choeph. v. 143, Aegypti filios in Suppl. v. 495, Furias in Eum. v. 131. Audacius dictum est in Pers. v. 82 κυάνεον δ' ὄμμασι λεύσσων φονίου δέργμα δράκοντος. Hunc autem draconem intellige Xerxem, qui ulciscendi ardore inflammatus ad Graeciam evertendam maximas copias paravit. Nec minorem fervorem quasi ostendit ille Spt. versus 362, ubi Tydei furor et clamores exprimuntur imagine draconis, qui meridiani solis ardore adeo maceratur, ut sibilos mittat. Quem imitatus est Statius in Theb. V, 505. Denique in Spt. v.

484 dicitur Minerva Oncum a Thebanis veluti draconem a pullis prohibere, quippe quae oderit virorum superbiam. Quibus addo anguinum genus, qua translatione Clytaemnestra, insidiosa ac dolosa illa mulier, in Ag. v. 1192 et in Choeph. v. 245 et 996 et filii Aegypti in Suppl. v. 862 significantur. Serpentis instar praeterea arrepit sagitta, vel malum improvisum, cf. Prom. v. 127 et 277, vel ira in dies aucta in Eum. v. 313. Quin etiam araneae similis est Clytaemnestra in Ag. v. 460, aut quoniam plerisque sollertissimum animal horrori est, aut quod ὕφασμα vocabulum ad talem imaginem effingendam quodammodo poetam incitavit; cf. porro Suppl. v. 852, ubi Hermanni sententiam secuti ἀμαλάδ' ἄγει μ' ἄραχνος ὢς βάδην νόαρ, νόαρ μέλαν Aeschyli verba iudicantes, iterum araneam rem invidiosam et contemptam intelligimus, qualis esse debent Aegypti filii virginibus oppressis. Quae imagines, quamquam exsultant fortasse audacia, tamen prorsus non abhorrent a communi intellectu, quod eo magis dicendum est de iis translationibus, quae a leonibus repetitae sunt. Apparet enim, in Aeschylo esse, ut hanc bestiam non, ut fabulae tradunt, ferarum regem habuerit neque generoso quodam animo inditum, at potius cruentissimum animal, cui etiam Aegisthus in Ag. v. 1183, Paris et Helena in Ag. v. 691—710 similes sunt. Comparantur enim cum catulo leonis, qui a viro aliquo comiter receptus altusque primo quidem mitem se praebuit, tum vero, viribus auctus, naturam suam patefaciens illum eiusque greges deperdit. In Sept. v. 53 nuntius fortitudinem septem virorum expressurus affirmat, eos fuisse λεόντων ὣς Ἄρη δεδορκότων. Alia huius comparationis exempla praebent Ag. v. 794 et 1297, ubi Cassandra furore divino occupata cantat, Clytaemnestram leone absente cum lupo rapaci sese miscuisse. Quamquam vero hic et in Ag. v. 192, quum leo Dianae deliciae vocetur, apparet, Aeschylum non prorsus has bestias parvi aestimasse, tamen ob crudelitatem ac saevitiam magis eas metui atque in odium eius pervenisse, quam maxime planum fit ex Eum. v. 192 et ex frgm. 113, 115, 239, 460, maxime denique ex frgm. 344, in quo cervus a leone dilaceratus inducitur tali modo, quali ubique fere mitiora animalium genera apud Aeschylum a feris pessumdata debilissima quaeque describant. Atqui quum de hoc imaginum genere paullo infra plura dicenda sint, hoc loco tenendum esse videtur, Sophoclem sagacius scivisse ex leone depingendo maximam copiam imaginum gravissimarum trahere, quum magis intraret in eius naturam neque leviter tantum similitudinem attingeret; cuius rei testimonia sunt inter alios Aj. v. 986, Phil. v. 1436, frgm. 163.

Nusquam vero Aeschylum respuere acerbitatem illam, qua insignis est, prae ceteris docent illa mitioris generis animalia; etenim ea sunt semper exempla hominum summis malis depressorum, unde Glaucus similis est capreae, quam duo lupi trahunt in frgm. 29, et in Suppl. v. 335 virgines se ipsae comparant cum capellis, quarum vestigia lupus sequitur, in Ag. v. 218 vero Iphigenia moribunda appellatur capella, quam viri sacrificaturi sunt. Eiusdem generis est etiam omen illud in Ag. v. 111—17 commemoratum; enarratur enim, exercitui Graecorum apparuisse duas aquilas, quae gravidum eumque iam nido proximum leporem diripuissent ac divellissent; neque differunt, quae per somnium viderunt Clytaemnestra et Atossa. Itaque etiam formica poetae non industriae sed paupertatis exemplum est, quum vitam miserrimam, quam homines ante Prometheum degerint, eius victui simillimam esse dicat in Prom. v. 453; neque aliud quidquam de apibus proferre potuit nisi eorum agmina cf. Pers. v. 127. Prorsus aliter Sophoclem in horum animalium naturam penitus paene intimam pervenisse eamque aptissime et prudentissime deformasse, quisque, qui eius fabulae diligenter legerit, concedet. Atqui Aeschylus non minus in argumentis fabularum et in hominum vel deorum moribus describendis, quam in his sermonis ornamentis acerbitatem quandam et magnitudinem affectavit et quaecumque animos mitigare et delectare potuerunt neglexit quodammodo, quum tempori assentiens magis terrores augere quam animi tumultum sedare studeret.

Itaque quamquam luscinia ter commemoratur, in Suppl. v. 55, 63, in Ag. v. 1101 et 1275, exemplum maximi doloris, tamen statuendum esse videtur, Aeschylum potius meminisse fabulae illius de Procne divulgatae, (de qua conferas Welckerum in libro, qui inscribitur: epischer cyclus I, p. 74, 75) quam avis dulcissimo cantu motum esse. Sophoclem vero hoc ipso valde delectatum fuisse, quisquis videt, qui accuratius perspexerit multos versus, in quibus illius avis mentio fit, ut in El. v. 107, 147, in Aj. v. 617, in Oed. Col. v. 678. Quae sententia eo probabilior est, quo magis imagines, quae passim apud Aeschylum inveniuntur, ostendunt, eum omnino obiter tantum volucres attigisse; plane enim ab sententioso et arguto genere dicendi, quo Sophocles insignis est, differunt, atque ut ita dicam, fere frigent (de Sophoclis ratione cf. Ellendtium in lex. s. v. πέτομαι). Ex Aeschyleis translationibus levissima sane est verborum volandi ad cogitationes, ut in Choeph. v. 224, 595, neque vix graviores sunt comparationes navium celerum cum illis, ut poetas sequar, aëris nautis cf. Suppl. v. 704, Pers. v. 554 et Prom. v. 88, 469; sic quoque advolant (cf. Pers. v. 670 et Eum. v. 370) tenebrae, clamores, vel quisquis ex improviso advenit cf. Sept. v. 85. Maioris vero momenti esse videtur, si etiam odio alae attribuuntur in Choeph. v. 386 et consanguinei in Suppl. v. 211 et in Choeph. v. 168 ὁμόπτεροι vocantur. Gracilis aliquid inest in vocabulo illo ἄπτερος proprie dictum de pullis adhuc pennis carentibus, quod poeta contulit ad significandos rumores nondum inter homines prolatos in Ag. v. 261, cf. Eum. v. 249, et satis facete ad stellam, cui nomen est a columbis, ut ab avibus discernatur.

His porro exstructa sunt sagitta (in Spt. v. 657, ubi vide quae Hermannus disseruit), tutela in Eum. v. 983, augurium in Suppl. v. 314, nives a coelo quasi devolantes (λευκοπτέρῳ νιφάδι in Prom. v. 997), obtutus (in Ag. v. 406), ut ὄρνις vocabulum saepius pro omine ipso dicitur cf. Sept. v. 578. Quibus metaphoris addendae sunt imagines deformantes avium genus, quae tamen, ut equidem puto, vix delectare possunt. Itaque in Sept. v. 274—76 chorus virginum Thebanarum, dum sui fratres urbem defendunt, pari metu cruciatur, quo columbae dracone pullis imminente cf. Suppl. v. 494, Eum. v. 853. Alibi, ut in Pers. v. 960, ὁ ἴυγξ significat desiderium, quoniam si fabulis fides habenda est, illa ave adiutrice animi cupidines sedantur; et quum in corvo quoque vis ominis inesse et vaticinandi tunc temporis ab omnibus credita sit, non est mirum, si vocabulum κόραξ in Suppl. v. 721 et in Ag. v. 1442 transfertur ad res mali ominis atque nefandas. In Ag. v. 1009 vero Cassandra ea sola de causa χελιδὼν vocatur, quod lingua barbarica utitur, nam avis garrula est, unde barbari, quorum garritum intelligi nequit χελιδόνες dicuntur cf. Blomfieldium in Gloss. et frgm. 403. Aquilas vero rapaces praepotentesque magis poetae placuisse, frequentes earum et expressae imagines ostendunt.

Comparatur enim cum aquila, avium regina, Agamemno rex in Choeph. v. 255 et 944, neque minus elegans altera est imago in Ag. v. 40—54 effingens Agamemnonis et Menelai desiderium Helenae recipiendae; utrumque chorus comparat cum vulturibus, qui quum foetu privati sint, quam maximos clamores gemitusque edunt, nidum circumvolantes; quam denique prorsus aequat comparatio Niobae cum volucre quadam, quae luctu quasi oppressa eademque muta pullos occisos deplorat cf. frgm. 162. In Choeph. v. 255 Agamemno exprimitur imagine aquilae viperae amplexu circumplicatae et compressae; quibuscum confer praeterea Choeph. v. 244—48, 496, ubi Orestes et Electra pulli vocantur, qui parentibus orbati omni miseriae expositi sunt. Iam habes, quae poeta feris indomitis in ornando sermone debuisse videtur; et omnia quidem, quamvis negare non possimus, aliquantum translationum et imaginum parum nobis satisfacere, maxime Sophoclearum ratione ducta, tamen prorsus ostendunt, poetam tanto studio quanta arte ac diligentia easdem effinxisse. Idem fere statuendum est de illis imaginibus, quas ei praebuerunt agricultura et vita pastorum, quibus Aeschylum magis delectatum

fuisse quam artibus et mercatura, pro certo habemus. Ne vero longus sim, statim affero permultas translationes repetitas a domitis et domesticis animalibus, quae agricolas maxime adiuvant. E quibus accuratissime cognitum habuit gallum, cui similes vocantur homines gloriosi secundum proverbium, quode disseruit Hermannus ad Pers. v. 757. Cf. praeter hunc versum Ag. v. 1642 et Eum. v. 848. Eadem avis solis ortum cantu suo indicans Solis sacra est in Suppl. v. 968 et in frgm. 462. Magnas porro sunt partes, quas canis agit, quum non solum canis venatorius, sed etiam domum custodiens hominumque fidissimus minister saepissime inveniatur apud Aeschylum. Iam vero consentaneum est, has translationes, pro variis canum moribus, vi atque ratione valde inter se differre aeque atque apud Sophoclem, quode doctissime disputavit Ellendtius in lex. Soph. sub vocabulo κύων. Et primo quidem, ut taceam de Syrio qui commemoratur in Ag. v. 934, ob fidem probatam gryphi atque aquilae Iovis canes vocantur in Prom. v. 804, 1026 et in Ag. v. 128 eodem modo, quo Clytaemnestra suum coniugem deceptura et a suis insidiis avocatura βουστάθμων κύνα eum appellat vel servus hoc nomine significatur cf. Ag. v. 3 et 585. Plane alia vis inest in comparatis Sphinge, Furiis similibusque cum cane. Itaque quum videamus, Aeschylum, nihil eorum quae huius animalis propria sint, effugisse, vix mirari possumus, si etiam cognitam habuit illam blandiendi consuetudinem, ex qua canis forma quasi cuiuslibet hominis infimi animi esse videtur. Unde facile est intellectu, non minus recte eius simillimam vocari Clytaemnestram in Ag. v. 1187 (οἷα γλῶσσα μισητῆς κυνός), in Choeph. v. 611, in Suppl. v. 728, quam explicari posse usum vocabuli σαίνω dicti de blandis verbis, quibus homines fatum mitigare student in Spt. v. 364 et v. προςσαίνομαι in Pers. v. 98. Similiter vituperandi vis inest in latrandi vocabulis ὕλαγμα, κλαγγαίνω, quae alicui rei notam vel miseriae vel impudentiae imprimunt cf. Ag. v. 1600, 1643, Suppl. v. 842, Pers. v. 573. At non solum ille vigilans custos gregum animum poetae in se convertit, verum etiam taurus et ipse socius agricolarum. Ἄπεχε τῆς βοὸς τὸν ταῦρον, disiunge miseros coniuges, exclamat Cassandra in Ag. v. 1084 alludens ad modum boum, amore instigitatorum, quippe qui se invicem cornibus petant. Omnino vero ob cornua saepe tauri arcessuntur; etenim quasi cornibus cadavera undis atque vento propulsantur in Pers. v. 305 et 394 et alibi commemorantur aciei cornua similiaque. Voci vero taurorum similis est tonitrus in Prom. v. 1056 et lugentium clamor in frgm. 58 (ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνται). Utrum autem in Ag. v. 230 Iphigenia verbo ἀταύρωτος significetur virgo integra, ita ut descripta sit illa, quam supra memoravimus, ratio taurorum connubii ardore inflammatorum, an, quod Hermanno praeferendum videbatur, hostia tranquillo animo mortem obiens, hic vix diiudicari poterit, quamquam negare non possum, hanc Hermanni sententiam magis convenientem mihi videri contextui verborum. Saepius quidem equus expressus est, at Aeschylum tantum bellicosi rationem habuisse, iam supra docui. Itaque elegantissimis illis imaginibus, quae apud Sophoclem continuae fere fluunt quasque Muellerus l. l. p. 20 congessit, accuratius perspectis facile concedes, Sophoclem huius artis artificem quasi esse et multo superare Aeschylum sensu quodam ac ratione imaginum exprimendarum. Ceterum conferenda est cum descriptione equi bellatoris in Sept. v. 442 effigies equi fidissimi ac prudentissimi, quae depicta est in Soph. frgm. 583. Neque de Tydeo, qui et draconis et equi similis vocatur, (cf. Sept. v. 374), vel de Prometheo, qui (in v. 1013), ut Mercurius ait, aeque atque vehementissime furens equus se gerit, neque de clarissima illa imagine, qua chorus Graeciam cum equo libertatis studio repleto comparat (cf. Pers. v. 188—95), quum ea omnia iam antea attulerim, multa verba facere volo satisque habeo, ea denuo ex rerum ordine commemorasse. At noli praetermittere, etiam equum fame ac plagis domitum durius aliquid habere cf. Spt. v. 461, frgm. 38, 202, 205 et Ag. v. 1025.

Frequens porro est usus translatus verborum, quae ad iugum pertinent; in frgm. 340

robur et iustitia copulata sunt et in Ag. v. 621 mala tam civitatem quam singulos cives opprimentia. Praeterea invenitur currus miseriarum et axis pedum, ἡ χνόη ποδῶν, cf. Spt. v. 352, quod vocabulum Suidas ita explicat, ut de strepitu pedum terram percutientium eum cogitasse appareat, scholiastae vero putant, χνόην verbum adhibitum esse propter pedum perpetuum motum. Frena appellantur et vincula pedum, ut in Choeph. v. 976 vel in frgm. 340, et rupes, ad quas Prometheus alligatus est in Prom. v. 530. Conferas praeterea haec verba: ὁ κημὸς in frgm. 129, τὸ στόμιον Τροίας intell. exercitum Argivorum in Ag. v. 126, ἡ μάστιξ θεία, de malis a Iove immissis dictum in Prom. v. 683, et quod in Eum. v. 161 legitur: ὁ μαστίκτωρ δάμιος, denique μαράχνη significans poenam, quam ultores de Agamemnonis interfectoribus sumpturi sunt (cf. Choeph. v. 370), quo de verbo vide, quae Hermannus annotavit ad Pers. v. 1021 et ad Eum. v. 397, ubi Wakefieldus tandem egregia emendatione κώλοις pro πώλοις scribens currum pinnatum ex aere fictum removit (cf. Vossii librum, qui inscribitur: mytholog. briefe I, 157 seq. et Odofr. Muellerum in edit. et God. Hermanni opuscula VI, 2, 174). Saepissime usus est poeta metaphoris ad iugum spectantibus; sic legitur in Ag. v. 1429 de Helena: ἐρίδματός τις ἀνδρὸς οἰζύς, quod Hermannus sic in Latinum sermonem vertit: gravis domitrix viri calamitas; similis sententia inest in Soph. Aj. v. 545: πωλοδαμνεῖν ἐν νόμοις, et in Aesch. Ag. v. 507 et Pers. v. 51: ζυγὸν ἀμφιβαλεῖν δούλιον Ἑλλάδι. Quater in Pers. v. 73, 279 seq. pons iugum vocatur mari impositum et praeterea etiam servi sunt subiugati. Fatum vero viros sub iugum mittit matrimonii in Pers. v. 537, unde explicanda est vis ac notio verborum ἀρτιζυγία, μονόζυξ Περσὶς in Pers. v. 138 et in Ag. v. 809 arctissimam et inseparabilem amicitiam indicans, τὸ ζεῦγος Ἀτρειδῶν in Ag. v. 44 et 621, in Choeph. v. 976, in frgm. 340. Alibi denique iugo coercetur lingua garrula, ut in Choeph. v. 1040, vel iugo solvuntur pedes i. e. liberantur suo officio in Choeph v. 662. Sed haec hactenus, atque eo magis in his, quas commemoravi, imaginibus acquiescendum est, quo certius est, partem tantum illarum translationum a poeta ipso partam esse. At utcunque res se habet, satis superque horum sermonis ornamentorum luminumque abundantia poetae in sermone ornando rationem audaciamque indicat.

Ad rem pecuariam iam transeuntes pro certo habemus, Aeschylum ad illam haud ita animum intendisse et utique non tam greges ipsos quam eorum pastores atque duces expressisse, fortasse omnino tantum Persas dignos iudicantem, qui cum illis studipis atque omni fere agendi licentia carentibus animalibus compararentur. Constat certe, hoc translationum genus saepissime in Persis tractari et quidem ita, ut fere sola Persarum gens similis gregum vocetur; gregis instar est Persarum exercitus, quem rex pastoris modo dirigit (ποιμάνωρ), cf. Pers. v. 76 et 240; praeterea gregi simile est agmen Furiarum in Eum. v. 280 et multitudo filiarum Danai, quippe quae consilii expertes et angore repletae coartatae sint cf. Suppl. v. 622. Pastorem vero pluris aestimatum esse a poeta, discimus ex Ag. v. 635, in quo Agamemno, dux Graecorum, vocatur ποιμὴν ναῶν et ex Eum. v. 898, ubi Minerva affirmat se φιτυποίμενος δίκην iniustos evellere eodem modo quo hortulanum steriles herbas, ne ab iis utiles opprimantur; augur porro est pastor avium et Dianae sacerdotes in frgm. 88 vocantur μελισσονόμοι, quod verbum sibi recte correxisse videtur Passovius scribens πολισσονόμοις. Praeterea interdum translatam vim habent verba ποιμαίνω in Eum. v. 94 et 248 et σύννομος de coniugio dictum in Pers. v. 705.

Fabulae vero, quam de Iove tradiderunt, adaptata est imago in Suppl. v. 540: ἱκνεῖται δ' ἐγκεχριμένα βέλει βουκόλου πτερόεντος δῖον πάμβοτον ἄλσος cet., etenim bubulci instar est oestrus; cum bove, qui in prato satiatus est, comparatur Mars caede altus in Spt. v. 227 et pascitur quoque cor in pascuo laborum in Choeph. v. 26. Pisces vero vocantur greges mare

depascentes, cf. frgm. 290. Quamquam vero singula quaeque earum aptissima est et nos prorsus delectat, tamen nos effugere non potest, hoc totum vitae genus abhorrere quasi a poetae moribus atque consuetudine, eumque magis allectum esse iis rebus, quae sunt Neptuni, Dianae Cererisque. In his enim libenter Aeschylum versatum esse, eo clarius elucet, quo magis hac in re ab eo differt Sophocles, politissimus ille et plane urbanus poeta. Sed priusquam ad hanc rem propius accedamus, commemorandus est ingens fere numerus translationum non singula quaedam animalia spectantium, sed id, quod omnium est commune. Sic de superbo dicitur in Choeph. v. 632 et saepius: λὰξ πέδοι πατούμενος, quoniam tali modo incedens negligere quodammodo res videtur, quin etiam leges conculcat cf. Ag. v. 367, 652 cet.; ἀπολακτισμοὶ βίων (cf. Suppl. v. 917) verba significant eos, qui multorum vitas perdunt. In Sept. v. 772 Furia καμψίπους vocatur, quia aut aliorum pedes flectit, aut ipsa scelestos curvatis seu celeribus pedibus persequitur, cf. Hermanni et Schuetzii adnotationes ad versum; celeripedes praeterea sunt hominum oculi in Spt. v. 604, vel casus fortunae (cf. frgm. 282), contra lentus est stultus in frgm. 328, qui aeque ac tinea ignem periculosum circumvolans neque sibi imminens periculum timens, in ipsam flammam postremo sese irruit. Quocum congruit usus verborum ὠκὺς, λαιψηρὸς, θούριος similiumque; itaque altat prae timore cor in Choeph. v. 161 et item calori, rumori, igni, fluviis et etiam licheni facultas eundi attribuitur. (Cf. inter alios Choeph. v. 278, ubi haec leguntur: ἐπαμβατῆρας σαρκῶν λειχῆνας). Prae ceteris eiusmodi metaphoris, quas omnes enumerare longum est, memorabilis illa est in Prom. v. 157 propter vocabulum κίνυγμα singulariter formatum, quode vide Lobeckium in Rhem. p. 244 et Eustath ad Jl. Δ, p. 472, 18. 43. Certum est, eo significari spectrum. Praeterea haec verba translata sunt: πατέω, ὁ φοῖτος et ἡ φοιτὶς, προςίκτωρ, χρονίζω, χωρέω, πηδάω, θρώσκω, ὁρμαίνω, ἐςήκω, quo vaticinia ad solis lucem pervenientia describuntur in Ag. v. 1140, denique ἐφέπω. Quibus omnibus audacius dictum est in Spt. v. 676, exsecrationem patris prodire siccis oculis vel in Ag. v. 1080, metum homines perturbantem aeque ac sanguinem quasi ad cor recurrere, ita ut toto corpore palleamus; quocum conferenda sunt haec verba in Soph. Aj. v. 937: χωρεῖ πρὸς ἧπαρ οἶδα γενναία δύη. Multo minus brachium manusque apta esse, quae metaphoras praebeant, vix est, quod moneam, et revera una tantum huiusmodi translatio apud Aeschylum esse videtur (in Prom. v. 1023 et in Choeph. v. 581) ἀγκάλη vocabuli, quo exprimitur quaelibet res curvata. Quam comparationem nimis fere iegunam magis Euripidis quam Aeschyli propriam fuisse, facile conieceris, nisi forte hoc verbum omnino iam ex antiquissimis temporibus hanc vim habuit, ita ut poetae prorsus hac dicendi licentia liberandi sint. Similiter sine dubio se habent verba χείρ, δύςλοφος, ῥαχίζω similia, quorum sunt ea omnia, quae ad sanguinem spectant. Quid enim sanguine aptius est ad effingendam consanguinitatem? Cor vero, quippe ex quo gignantur et amor et odium, pro his ipsis substitui quem turbet? Sane vero tam apte quam leviter quodammodo dici potest, pectus vacare lacrimis in Suppl. v. 66, vel iracundum esse ὀξυκάρδιον in Spt. v. 881, quod verbum ab Aeschylo partum esse videtur. Simili modo translatum est vocabulum κακόσπλαγχνος (in Soph. Aj. v. 472 legitur ἄσπλαγχνος) ad timidum (cf. Spt. v. 220), quoniam τὰ σπλάγχνα ubique idem vere valent, quod καρδία verbum. Denique subsequantur nonnullae metaphorae a crinibus repetitae, quibus etiam fulgur describitur in Prom. v. 1048 πρὸς ταῦτ᾽ ἐπ᾽ ἐμοὶ ῥιπτέσθω μὲν πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος, quod Latini poetae elegantissime sic verterunt: comam ignis. Aliud exemplum invenitur in Ag. v. 291 φλογὸς μέγαν πώγωνα, quocum conferas Catulleanum illud: Viden' ut faces splendidas quatiant comas? De hoc genere imaginum doctissime disseruit Valckenarius ad Phoen. v. 1261. Plane ex nostra dicendi consuetudine iam Aeschylus dixit, timidi hominis vel furentis crines rigere in Choeph. v. 31 et alibi; quod autem in Aj. v. 693 legitur, amore ardentem rigere (ἔφριξ᾽ ἔρωτι), id ab

ipso Aeschylo effictum esse, affirmat scholiastes. Commemorandus est porro usus verbi κείρω et aliorum, quae sunt eiusdem et stirpis et significationis; tondet enim non solum Mars agros (in Pers. v. 927), sed etiam populos deus in Pers. v. 901 et in Soph. Aj. v. 55; ἄγροι κτένες χερῶν sunt digiti cf. Ag. v. 1563. A crinibus descendimus ad os, quod ostium fluminis significat in Prom. v. 848 saepiusque; freni instar, chorus ait in Ag. v. 126, esse exercitum Graecorum Troiae captae domitaeque iniectum. Per enallagen, quam grammatici vocant, verba αἰολόστομοι, σεμνόστομοι (cf. Prom. v. 957), στόμαργος (cf. Spt. v. 428), θρασύστομος in Spt. v. 593, ἐλευθερόστομος (Suppl. v. 911), πολυστομεῖν in Suppl. v. 486 de sermone dicta sunt, cui etiam lingua substituitur in Ag. v. 780: οὐκ ἀπὸ γλώσσης et q. s. enim significant Hermanno auctore, quae non verbis tantum dicuntur i. e. quae non obiter tantum et negligenter facta sunt (cf. Suidam s. v. ἀποστοματίζειν et Abreschium ad l. l.). Cum hoc usu dicendi congruunt praeterea verba πικρόγλωσσος in Spt. v. 768, μελίγλωσσος in Pr. 173, εὔγλωσσος in Choeph. v. 1041 vel in Eum. v. 971: ἆρα φρονοῦσιν γλώσσης ἀγαθῆς ὁδὸν εὑρίσκειν, ubi laudator exprimitur. Ἡ γνάθος in Prom. v. 727 de angustiis dictum vocabulum vix miri aliquid habet, contra sane audacter igni et licheni maxillae adduntur, ita ut utraque res comparetur cum bestiis cf. Choeph. v. 321 et 274. Εὖρις ξένη vero in Ag. v. 1052 vocatur Cassandra, quum futura sagaciter praedicat; θεμερῶπις est αἰδὼ et τύχη in Choeph. v. 963 εὐπροσωποκοῖτα; sic enim Hermannus ex contextu verborum scripsit, quamquam apparet, hoc verbum non lectum esse a scholiasta. Ut κυανῶπις appellatur navis, cuius prora cyaneo colore oblita est in Suppl. v. 713, ita quoque exercitui attribuitur facies; nam in Pers. v. 721 legitur τὸ μέτωπον τοῦ στρατεύματος. Prometheus vero (cf. Promethei vincti fabulae v. 722) Caucasum describens haec dicit: Καύκασον ἔνθα ποταμὸν ἐκφρυσᾷ μένος κροτάφων ἀπ' αὐτῶν, secutus illam Graecorum opinionem, ex qua putaverunt, montes quippe gigantas etiam corpore esse praeditos. Apparet vero, si accuratius rem perpendimus, Aeschylum tales translationes proferentem nequaquam studuisse, ut animalia plane exprimeret, sed tantum similitudines quasdam vel lineamenta eorum attulisse, praesertim quum harum translationem maiorem partem iam dudum in consuetudinem sermonis abiisse neque amplius certa genera iis definiri, pro certo habendum sit. Neque aliter diiudicandus est usus verborum ad oculos pertinentium, e quibus ὄμμα in Pers. v. 428 vel noctem, ut volunt Stanleius et Valckenarius, vel, ut alii putant, lunam, in Eum. vero v. 1006 et in Pers. v. 168 quamlibet rem descripsit, quae terram vel domum ornat; itaque etiam amor vocatur in Prom. v. 906 ἄφυκτον ὄμμα vel luna ὀφθαλμὸς in Sept. v. 370, ut in Choeph. v. 922 et Pers. v. 952 herus totam domum dirigens et perlustrans.

De coniunctione verborum κτύπον δέδορκα cf. Sept. v. 99 et quae sunt eiusmodi disseruit doctissime Lobeckius in Rhem. p. 333—40 eamque sic explanavit: „atque huc pleraque illa incosequentiae exempla redeunt, ut aut verbum aut nomen ab eo, quod vulgo significat, traducatur ad illud, quod significare potest, vel ex proprietate etymi vel ἐκ τοῦ παρακολουθοῦντος, neque alia ratio magis convenit Aeschyleo isti, unde hic sermo defluxit; nam κτύπον et πάταγον nemo videt, sed mulierculae illae vident vel sibi videre videntur τοὺς κτυποῦντας.“ Similiter in Prom. v. 909 ὁράω pro verbo sciendi dictum est et in Sept. v. 935 manibus facultas videndi tribuitur, quoniam alicuius rei curam gerant. Alia eiusdem inconsequentiae exempla praebent Spt. v. 466, Suppl. v. 780, Eum. v. 320 et 380, Ag. v. 1612, ubi haec leguntur: λιμὸς ξύνοικος μαλθακόν σφ' ἐπόψεται, verborum autem sententia prorsus haec esse videtur: te reddet; cf. Lobeckium ad Sophoc. Aiac. v. 67. Neque ita dicrepant cum praecedentibus aliae quaedam translationes, ut βλέπω φόβον in Spt. v. 479 et in Soph. Aj. v. 266, καὶ πρῷρα πρόσθεν ὄμμασιν βλέπους' ὁδὸν in Suppl. v. 686 (cf. Pers. v. 554, Suppl. v. 173), quam videndi notionem omnino saepius ad intellectum traduci, docemur praeterea Choeph. v. 840, ubi mens appellatur

ὠμματωμένη. Plane aliter res se habet, si in Pers. v. 513 et in Spt. v. 692 somnium ὄψις vocatur, vel in Ag. v. 806 falsa amicitia somnii imagine vel denique in Prom. v. 792, 255. 669, frgm. 305, φλογῶψ et φλογωπὸς vocabulis accuratius describuntur solis ortus et ignis. Multo audacior imago inest in Eum. v. 942: τοῖς δ' αὖ ἀμβλωπὸν βίον δακρύων παρέχουσαι, quia hac verborum comprehensione exprimuntur ii, qui aliorum vitam miseriis quasi ac lacrimis replent. Valde vero dubitaverim, num Eum. v. 138 et Suppl. v. 470 huc referendi sint. Ut vero poetae Graecorum inde ab Homero saepissime vocabulum ὄμφαλος transtulerunt, ita quoque idem ab Aeschylo ad alias res significandas adhibetur, apud quem legimus in Ag. v. 1015 ἑστίας μεσομφάλου et similia in Spt. v. 728, in Eum. v. 40 alibi. Idem haud dubie statuendum est de Pers. v. 481 πρὸς μέγαν κόλπον Ῥέας, ubi intelliges mare superum cf. Eum. v. 396. His adiungendus est Spt. v. 256; Eteocles enim chorum mulierum hortatus, ut diis supplicent, si fides habenda est iis, quae libri tradiderunt: Δίρκης τε, inquit, πηγαῖς, ὕδατι τ' Ἰσμηνοῦ λέγω. Iam vero Fridericus Haasius in Miscellaneorum philologicorum libro III. rectissime, ut equidem puto, imaginem pulcherrimam revocans: οὔθατ' Ἰσμηνοῦ λέγω esse scribendum docuit. Quibus exemplis imaginum singula animalium membra exprimentium allatis ratio nobis explicanda et exploranda est eorum verborum, quae vulgo ὀνοματοποιητικὰ nominata iam supra passim commemoravimus, et quidem pro certo habemus, ea utique suos fines quasi auxisse, ita ut non uni tantum rei propria sint, sed ad omnes res similiter sonantes pertineant. Apud Aeschylum vero haec fere verba clangoris invenire potui: κροτητὸν κάρα significat caput obtusum in Choeph. v. 423, κομπέω dictum est de homine glorioso in Prom. v. 951 et in Soph. Aj. v. 770, unde natum est vocabulum ὑπέρκομπτος in Pers. v. 337, quode disseruit Lobeckius ad Ajac. v. 127; audaciam quandam prae se fert, quod in Spt. v. 819 legitur ἡ ξυναυλία δορὸς describens pugnam singularem: αἱ κορκορυγαὶ translatae sunt ad quoslibet clamores cf. Sept. v. 328, ἡ βλαχὴ voc. dicitur de clamoribus vulneratorum in Spt. v. 330; pari modo usus est poeta verbis κράζω, μινύρεσθαι, βρέω, ὕλαγμα, ἐπιῤῥοθέω et denique contemptionem redolent: θεόπτυστος, ἀποπτύω, ἰὸς, quod scriptum est in Suppl. v. 144 et in Ag. v. 801. Alio quoque modo rebus vitam et animum attribuens dicit poeta, populum esse vulneratum (cf. Ag. v. 618), vel Nilum morbo laborare (cf. Suppl. v. 545), vel satis audacter sermones famamque moriri (cf. in Ag. v. 465 ταχύμορον κλέος); contra inveniuntur in Suppl. v. 957 ἄχθος ἀείζων et in Ag. v. 786 ἄτης θυηλαὶ ζῶσι, quibuscum conferas frgm. 29, Ag. v. 1131, 1347. Hominem vero modo aegrotare modo convalescere, exprimitur in Ag. v. 968 similitudine viri nunc fortuna secunda fruentis nunc ex improviso in mala irruentis. Adedit vero hominem cura in frgm. 267 atque in Choeph. v. 165, at cibum desiderat animus in Ag. v. 802; mira vere ratione Clytaemnestra in eiusd. fabulae v. 1408 ait: Cassandram, quam fortuna ipsi tradiderit interimendam, esse quasi suum obsonium. Sic sitiunt quoque lacrimae, homines autem spe satiantur (cf. Choeph. v. 179 et Ag. v. 1639), vel terra bibit sanguinem in Spt. v. 789. Insatiabilia aptissime vocantur libidines et desiderium firmissimae valetudinis, quo homines impleti sunt (cf. in Ag. v. 968 ἀκόρεστον τέρμα ὑγιίας). Nonnullas vero metaphoras, quae ex matris officio haustae sunt, prae se ferre quandam, ut ita dicam, pietatis speciem negari non potest, modo in iis intelligendis vigilemus; enimvero si legitur in Choeph. v. 58: δι' αἵματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαῤῥύδαν, his verbis haud dubie alluditur ad opinionem, quam secuti Graeci putaverunt, se esse Gaea matre natos cf. praeterea Choeph. v. 120, Eum. v. 516. Plane contrarie hominem devictum eumque minimi aestimatum notat vocabulum καθιππάζειν. Eiusdem generis sunt praeterea, quae saepissime apud Aeschylum inveniuntur verba deducta a radice *TEK*, quorum exempla sunt in Ag. v. 264 εὐφρόνη τεκοῦσα φῶς, in Ag. v. 724 ὄλβον τεκνοῦσθαι scil. calamitates; in Eum. v. 525 chorus

eadem similitudine usus appellat superbiam filiam impietatis, ut flores sunt terrae filii vel in Choeph. v. 636 fatum gignit ultionem: *Αἶσα τέκνον ἐπειςφέρει δόμοισιν κ. τ. λ.* Verba quae leguntur in Ag. v. 370: *Πειθω προβουλόπαις ἄφερτος βούλης* Hermannus quidem explicat sic: audax Suada consultrix filia effrenata culpae, at Todtius aliam viam secutus hoc modo: „cogit eum (qui animi causa divina humanaque permiscuerit) funesta Suada (libidinis intelligenda est) intolerabilis filia deliberationis perniciosae", ita ut totius comprehensionis vis haec sit: „si quis libidine exagitatus deliberare coeperit, perficiat scelus necne, certum est, eum a libidinis Suada victum iri" (cf. Todtium l. l. p. 34).

Pulchris filiis eleganter sane in Ag. v. 732 fato quoque tributis, in eiusd. fab. v. 1194 Clytaemnestrae nomen Orci mater ea sola de causa datur, quod eum mortuis replevit cf. Ag. v. 1074, Pers. v. 903. Quo nomine matris haud dubie dignior videtur terra alma, quae eo salutatur in Spt. v. 16 et 397, in Choeph. v. 58 et 120 et ita quidem, ut appareat, poetam meminisse maximae necessitudinis hominibus cum illa intercedentis. Qua cogitandi subtilitate plane carent aliae quaedam translationes quales sunt: *πειθαρχία μήτηρ ἐστὶ τῆς εὐπραξίας* in Spt. v. 208 et *σιδηρομήτωρ αἶα* in Prom. v. 303 et aliae, quas habent Ag. v. 1597, Spt. v. 732, Eum. v. 934. Audacia vero eae omnes sane multo superantur Spt. v. 988, ubi haec leguntur: *πῆμα πατρὶ πάρευνον* vel Ag. v. 1075 *ἀλλ' ἄρκυς ἡ ξύνευνος φόνου* et Ag. v. 107. Ceterum hic commemoranda est nobilissima descriptio potentiae, qua instructa Venus omnium rerum exsistit domina, in frgm. 45 (cf. Prelleri librum de mythologia Graecorum I. 35). Venus enim gloriata, se esse omnipotentem, ait, omnium animalium et stirpium originem revocandam esse ad amorem concubitumque Terrae et Coeli; quam rem iterum poeta tractavit in Suppl. v. 967, ubi amoris vis atque potentia explicatur exemplo ferarum, quae sive terrestres sive aquatiles sunt, omnes ei subditae atque eadem domitae sibi amoris delicias petunt.

Iam vero sub iudicium vocemus eas imagines, quae res inanimas homini quasi similes efficiunt, qualis est comparatio linguae cum mente; dicitur enim in Ag. v. 1186, illam mente quasi fulgere; ad hanc similitudinem prope accedunt viae pavidae in Eum. v. 762, vel *πέτρα οἰόφρων* in Suppl. v. 764, vel causa cum eventu mutata in Suppl. v. 772 *κακὰ φιλαίακτα*. Eleganter vocatur pulvis mutus exercitus nuntius, et muti filii maris sunt pisces, ut periculum (cf. Eum. v. 922 et Prom. v. 817; Suppl. v. 166, Spt. v. 82, Pers. v. 580); conclamant vero terra et undae, miseria, dolores in Ag. v. 255, vel Clytaemnestram allocutus dicit chorus ibd. in v. 1020: *χερὶ φράζε*: noli verba facere. Ceterae translationes maxima ex parte sunt parvi momenti; nam vix admirationem movere potest, si appellatur cuiusque rei initium prooemium (cf. Ag. v. 1314), aut si hirundines loquuntur barbarorum instar (cf. Ag. v. 1009), aut si echoi attribuuntur clamores bellicosi (cf. Prom. v. 385). Multo vero audacius in Spt. v. 926 comparantur preces, quibus Oedipus filios detestatus est, cum clamoribus, quos milites edunt. Porro inveniuntur *τὸ γέλασμα κυμάτων* in Pr. v. 90, quocum conferas Spt. v. 108 et verba Eum. v. 252: *ὀσμή με προςγελᾷ*, ut in Eum. v. 514 fortuna gloriosum atque insolentem virum prosternens ridet eius iactationes; qui nondum miseriae particeps fuit vocatur *ἀπειρόδακρυς* in Suppl. v. 66. Praeterea alia quoque similitudo intercedit inter res, quae natura vigent, et fatum hominum, quippe quum etiam illae quodammodo nascantur ex gremio matris vel gaudeant iuventute (cf. Ag. v. 562, Choeph. v. 866 et usum translatum verborum *ἡβάω, παρηβάω, νεάζω, νήπιος* etc.), donec omni robore privatae hominum instar ad postremum senescant. Qua iam collatione usus Aeschylus has translationes habet: *ὁ γέρων λόγος, φόνος, τριγέρων μῦθος* in Choeph. v. 311. Qua in re prorsus non est negligendum, Aeschylum aurifica quasi statera examinasse quidem utrum pluris esset pater an mater, at vix pro certo venditari posse, utri primas dederit. Enimvero quum in Choeph. v. 738 et 835 matri detulerit palmam, in Eum.

v. 654 seq., 727 seq. pater antecellere matrem videtur, cui tantum pignoris instar foetus traditus sit. Fortasse tamen ex matricida poena soluto coniecturam de poetae sententia facere licet. His praeterea adnumeranda est superbia iuveniliter sese gerens (in Ag. v. 734) vel fontes virginum modo saltantes in Pers. v. 616. Quo de imaginum genere non opus est multa verba facere, quoniam omnium fere populorum sermo similes praebet, itaque malo redire ad illas translationes, quae exprimentes certas vitae conditiones maxima ex parte a singulis tantum populis effictae esse videntur. Iam vero quum ab agriculturae similitudinibus huc usque digressi simus, non alienum est, ad has orationem annectentes nos omnia, quae in causa sint, exsequi. Itaque statim labemur ad imagines sane audaces, quae, ut equidem puto, quum illius aetatis homines opinati sint, omnium et rerum et hominum genitricem esse Terram, coniugium effigie agriculturae metaphorisque inde repetitis exprimunt.

Quarum est Oedipus semina spargens in nefandum agrum; fructus vero, inde se effundentes intellige eius liberos se invicem interficientes cf. Sept. v. 734, qui ibd. in v. 785 et 907 *ὁμόσποροι* vocantur; quocum bene congruunt verba in Ag. v. 1478: *ὁμοσπόροις ἐπιῤῥοαῖσιν αἱμάτων*, vel *κῦμα νεόσπορον* in Eum. v. 650, id est: foetus hominum, in frgm. 169 *ἀγχίσποροι*, in Eum. v. 165: *οἱ ἐπίσποροι, οἱ Σπάρται* in Eum. v. 48; fortasse quoque *ἀταύρωτος* in Ag. v. 230, de quo verbo iam supra virorum doctissimorum sententias explanavi. Neque solum eodem modo quo stirpes oritur genus humanum, verum etiam aeque atque illae fati necessitate caeduntur homines vel a Marte, quamquam ab eo ne sparsi quidem sunt (cf. Suppl. v. 618); homines praeterea agricolarum instar ipsi factorum suorum, qualiacumque fuerunt, fructus demetunt cf. inter alios Ag. v. 1003, 1178, 1628, ubi leguntur verba *ἀμάω* et *ἐξαμάω*, Suppl. v. 72; Ag. v. 514, Suppl. v. 67. Quas translationes sine dubio superat ea, quae inest in Darii verbis (Pers. v. 823): fore ut superbia, ubi ad summum fastigium pervenerit, procreet sibi ex necessitate fructum perniciosum superbusque postremo miseriis gravissimis afficiatur. Mare porro vocatur sterilis ager in Pers. v. 1003, quod aeque secatur navi (cf. Suppl. v. 997), atque corpus vulneribus (cf. Choeph. v. 25). Itaque explicari potest egregia illa effigies, quam praebet Sept. v. 574, ubi mens humana cum arvo comparatur, cui cogitando sulci impressi sunt; quo rectius vero eosdem ductos esse, eo magis esse sperandum, fore, ut inde exoriantur prudentissima consilia. Apparet igitur poetam hac imagine Amphiareum virum mentis recto usu ac diligenti insignem descripsisse. Quamvis autem audacter v. *πιαίνω* ad superbissimum quemque significandum transducatur in Sept. v. 568, in Ag. v. 261 et 1640, vel Minerva, quae alibi (v. supra) se ipsam quasi plantariam appellavit, Furias moneat, ne agricolarum instar semina noxia spargentium verba mali ominis profundant, tamen audacia prae omnibus ceteris eminere mihi videtur comparatio, quae inest in Clytaemnestrae verbis (cf. Ag. v. 1351), quae cruore mariti adhuc conspersa dicit, se hoc sanguine pariter delectari ac segetem nunc primum solis lucem et calorem sentientem. Sine ullo dubio autem, eandem similitudinem frigidi aliquantum habere, quisquis videt, modo perpenderit, quanto res illae inter se distent. Multo sane levius in Persarum fabula transferuntur vocabula *ῥαίνω* (in v. 569), *στέγην πέδοι ῥαντήριον* intellige *αἵματι* (cf. v. 1051), neque difficilior est intellectu fama modo aquae per agros ducta in Ag. v. 834; denique commemorandus est deus urbes opulentissimas ligone humo aequans cf. Ag. v. 504. Quamvis igitur in iis imaginibus, quae de agricultura depromptae sunt, versatus sit Aeschylus et inde saepissime aptissimas rerum collationes effinxerit, tamen multum abest, ut studiosus fuerit earum rerum, quae a terra stirpibus contineantur, cognoscendarum vel deformandarum, ut multo rarius ad eas descenderit quam Sophocles easque haud ita apte accurateque descripserit, et in natura perpetuo fere vitam degens peritissimusque perscrutator animalium, vix illarum stirpium florumque insignium pulchritudine rationem duxisse videatur. Plane aliter

Sophocles, quae erat eius sentiendi subtilis et quasi amabilis ratio, quum intellexisset, quantum fructum ex comparatis illis rebus percipere posset, saepissime flores arboresque deformavit atque penitus insinuans in naturam utriusque inde praestantissima sermonis ornamenta deprompsit, unde fit, ut, quasi vireant floreantque apud eum vitis, olea, hedera (cf. Muellerum l. l. p. 25), et ut alia exempla omittam (cf. Aj. v. 557 et frgm. 162), infans tener cum planta auris tepidis mota et timore alta comparetur. Quamquam vero apud Aeschylum nequaquam tales collationes prorsus desiderantur, quoniam commemorantur radices familiae et semina hominum, eorum autem progenies vel denique animus consiliis superbissimis repletus vocantur turgida (cf. usum vocabulorum τὸ ῥίζωμα, ἡ ῥίζα, τὸ βλάστημα, βρύω, βλοσυρός, φλύω, ἀκμάζω, ἀμφιθαλής), tamen ea omnia vix alicuius admirationem excitare possunt, quum magis ex consuetudine sermonis quam ex ingenio Aeschyli genita esse videantur. Neque magis admirandum est, si mortui undis disiecti appellantur flores maris in Ag. v. 687 (de quo usu cf. Vossium ad hymn. in Cer. p. 278 et Abreschii adnot. ad Ag. v. 668), vel si laboribus, querelis, sanguini, igni, amori florendi facultas tribuitur ἄνθος, ἀνθίζω similibusque verbis ad ea traductis (cf. Sept. v. 924, Choeph. v. 143, Prom. v. 7, Ag. v. 932, Prom. v. 420). Itaque carpta sunt ea verba, quae frustra dicta sunt in Ag. v. 1634, frugifera autem esse possunt vaticinia (in Spt. v. 599) et caedes virorum (ibd. in v. 674) acerbissimos ferunt fructus. Ut iuventus flori similis est in Suppl. v. 638, ita senectus frondi marcidae in Ag. v. 79, quam imaginem primum effinxisse Archilochum, docent huius poetae versus ab Hephaestione traditi: οὐκ ἔθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα· κάρφεται γὰρ ἤδη, quae verba imitans dicit Aeschylus l. l. τό θ' ὑπεργήρων φυλλάδος ἤδη κατακαρφομένης τρίποδας μὲν ὁδοὺς στείχει. Quae quum ita sint, mirari non possumus, si haud paucae translationes verborum, quae de rebus maturis vel immaturis proprie dicuntur, inveniuntur neque deficiunt frugiferi vel sterilis notiones. Et agrum quidem a Graecis poetis, praecipue vero ab Aeschylo cum connubio comparari, quippe quum utrumque modo diligenter colatur uberos fructus, neglectum vero raros tantum eosque viles procreet, iam supra docui: neque est, quod eiusmodi exempla denuo memorem. Quum vero non solum hominum liberi similes esse videantur semini verum etiam eorum operae, quarum fruges ipsi postea metant, consentaneum est, probum pietatis praemia, improbum vero scelerum poenam quasi metere cf. Choeph. v. 200, Eum. v. 706. Plane aliam viam iniens Aeschylus, quum virginitatem exprimeret effigie floris, genuisse videtur plura vocabula, ut ἀρτίδροπος et ὠμόδροπος in Spt. v. 315 et 316, ubi conferenda sunt quae de iisdem Hermannus annotavit.

Expressae vero imagines gignentium, quas raro a poeta effictas esse iam demonstravi, inveniuntur in Spt. v. 71, ubi urbs devastata comparatur cum arbore caesa, vel in Ag. v. 933; Agamemnonem enim reversum Clytaemnestra, inflato orationis genere usa arborem umbrosam ac frigus praebentem defessis viatoribus vocat; sic quoque spes e germine tenerrimo orta accrescit ad arborem ingentis magnitudinis cf. Choeph. v. 200. Singularum stirpium exempla praebent Choeph. v. 382 et 630; ibi enim clangor et gladius πευκήεις et ὀξυπευκής verbis significantur; tum in frgm. 120 et 279 morus cum homine comparatur. Quae in Suppl. v. 731 leguntur verba βύβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν, sine ullo dubio referenda sunt ad vetus proverbium, id quod iam dudum animadverterunt Zenobius II, 73 et Suidas s. v. βύβλος, cuius vis ea esse videtur, ut quos protulerit papyri patria, Aegypti filii, non sint victuri Danai filios Graeciae incolas cf. Stanleium in ed. sua ad l. l. Omnino vero constat, quae gignantur e terra, ea rarissime tantum poetam instigasse, ut ab iis imagines repeteret. Sed haec hactenus, quum praeferendum esse mihi videatur inspicere metaphoras, quas Aeschylus ex fluminibus vel fontibus hausit, quasque omnes copiam quandam significare apparet; etenim scaturiunt homines superbia in Spt. v. 642, in Prom. v. 506, opibus domus in Ag. v. 361 et 1377, malorum vero

fluvius in dies augetur, donec mare periculosum inde nascatur cf. Eum. v. 688, ut ibd. in v. 557 sermo afflatus vocatur amnis aquis abundans. Frequenter porro usus est Aeschylus translatione verborum, quae habent notionem fluendi, ut ἐπίῤῥυτος, ῥεῦμα, ἀποῤῥέω vel de fontibus dicta sunt, ut ἡ πηγὴ ceterisque, quorum exemplum praebet Spt. v. 565, ubi leguntur πηγὴ μητρὸς unde oritur hominum vita; cui addenda sunt praeterea ἡ πηγὴ πυρὸς, ἡλίου, δακρύων κακῶν. Praeterea Agamemno in illa blanda ac tumida oratione, qua Clytaemnestra eum fallere et ab insidiis structis avocare studet (cf. v. 866), appellatur fons viatorem recreans. Quod vero ad flumina attinet, non omittenda est stropha cantici chori a Suppl. v. 996 incipiens, in qua fluvii liberis abundantes, qui terram irrigent ac frugiferam reddant, describuntur. At quum eadem flumina nimis aucta agros devastent, satis commode conferuntur cum malis ex fati necessitate imminentibus in Suppl. v. 452 et 454.

Ut vero omnino Sophocles et Aeschylus genere ac modo translationum saepissime multum inter se differunt, ita quoque magnum discrimen inter eos intercedit ratione, qua uterque animum ad lucem vel caliginem, diem noctemque intenderit iisque usus est in imaginibus effingendis. Apud Aeschylum enim, id quod satis mirum videtur, stellae rarissime tantum commemoratae sunt, quamquam negare non possumus, quascumque inde deformavit imagines, ardere quasi ac singulari splendore egregias esse; cuius exemplum exstat in Ag. v. 239, ubi dicitur: τορὸν γὰρ ἥξει σύνορθρον αὐγαῖς, quae verba Hermannus sic explicat: orietur cum luce solis eventus: soli praeterea similis est lux facis in Ag. v. 273; haec ipsa autem in v. 283 comparatur cum luna montes superante; ἡ ὄπωρα porro vocabulum proprie dictum de tempore frugum maturescentium transfertur ad iuventutem in Suppl. v. 967 et 983. Quae omnia multo sane antecedit eximia illa stellarum descriptio in Agamemnonis fabulae primis versibus. In universum Sophocles, ubicumque lucis vel caliginis mentionem fecit, insignis est quadam subtili cogitandi ratione et in earum vim penitus insinuasse videtur, ita ut imagines non tantum dulcem motum animis afferant, sed potius eos modo ad spem excitent, modo praecipites ad summum terrorem ferant. Itaque recte Muellerus l. l. p. 17, de hac re disserens dixit: „Jenem (dem Sophocles) ist die nacht das bild des unschuldigen, ahnungslosen menschen: tiefes schweigen der seele und erhabene ruhe am ziele, wenn der farbenschmuck des irdischen tages stumpf wird und dieselbe allein ist mit gott". Quam vere haec dicta sint, plane cognoscemus ratione habita vel finis illius fabulae, quae Oedipus Coloneus inscribitur; enimvero effingitur Oedipus in luco ipsius Noctis filiis sacro quietem sibi paravisse; vel Aiacis precantis Orcum, quem quasi lucem suam advocat. Sophoclis artem hac in re Aeschylum non modo non implevisse, sed etiam lucis imagine gravissima mala vel animum laboribus cruciatum similiaque exprimentem communem tantum sensum secutum esse, vix est quod moneam. Iam vero his praemissis superest, ut singulas translationes proferamus; eiusmodi autem sunt vel nox mortis in Spt. v. 384, noctis umbris velata cura in Ag. v. 439, vel dies miseriae noctem ita excipiens ut ver hiemem. Quo magis securi scelesti homines dies consumpserint et quo feliciores per tempus esse videantur eo vehementius eos in perniciem irruere, docent Choeph. v. 54 et seq. Multa cum arte adhibuit umbram vel caliginem, ut eas deformans modo hominem defunctum vita (cf. Spt. v. 955), modo deum inanem (cf. Hermannum ad v. 299), modo rem nullam (cf. in Ag. v. 1288) exprimeret; et quoniam felicitas atque miseria cum luce et nocte caligineve comparantur, facile est intellectu, quomodo dici potuerit, nebulae instar miseriam domum obtegere. Huc porro referenda sunt tam δάσκιον γενείαδα verba in Pers. v. 311, vel δάσκιοι πόροι cet., quibus significatur res secreta, quam usus translatus vocabulorum ἀμαυρὸς in Ag. v. 445, δνοφερὸς in Pers. v. 531, ὁ σκότος μητρόθεν pro matris gremio dictum in Spt. v. 646 et Eum. v. 656, σκοτεινὸς in Choeph. v. 645, ἐπάργεμος in Choeph. v. 651, ἀχλὺς, quod Aeschylus primus ita

tractavisse videtur, ut in eo sit calamitatis vis in Pers. v. 669, ubi legitur *στυγία γάρ τις ἐπ' ἀχλὺς πεπόταται*: nigra malorum tempestas appropinquavit cf. Choeph. v. 46—48. In explicandis Choeph. vers. 796 seq. haeserunt interpretes, quippe quum ob similia vocabula *ἀνιδεῖν* et *ἰδεῖν, ἐλευθερίως* et *λαμπρῶς*, quae paucis tantum aliis interpositis in libris scripta sunt, valde dubitarent, num omnia recte se haberent; quae quum ita sint, iam Hermannus totam verborum comprehensionem mutilatam esse censuit (cf. eiusdem adn. ad Viger p. 709 et opusc. I, 115). At quamvis elegantia quadam sese commendent, quae coniiciendo assecutus est, malumus tamen Aeschylo redundanti saepissime verborum audacia hunc verborum similium inflatum eo libentius concedere, quo magis tota sententia, quae in traditis verbis inest, congruit cum verborum et rerum connexu, modo statuatur *δνοφερᾶς* vocabulum esse genetivum. Iam verba ita explicanda sunt: Apollo concede Oresti, ut libere et clare oculis suis calamitatem domum Agamemnonis obnubilantem perspiciat. Plures porro inveniuntur translationes verborum *μέλας* et *κελαινόω*, ut in Sept v. 813, in Choeph. v. 418, in Eum. v. 451, in Suppl. v. 755. Quas imagines non magis mediocritatem quandam, ut ita dicam, superare, quam illas a luce repetitas, quae in Choeph. v. 18, in Eum. v. 901 inveniuntur, vitam, salutem, diem verbo *φάος* exprimentes, quisquis concedet; sequuntur enim communem consuetudinem, quum audacissime culpa vocetur lux, quae terrorem excitans fulgeat in Ag. v. 372, cf. Soph. Aj. v. 709; omnino vero apud Aeschylum multis ac variis rebus fulgendi vis attribuitur, vento in Ag. v. 1138, aquae in Eum. v. 690 et in Pers. v. 478, testimoniis in Eum. v. 786.

Quum iam quaecumque ipsius naturae res exprimant imagines et metaphorae, attulisse mihi videar, superest, ut, quod de iis universe iudicandum sit, dicam. Quarum vero copiam si sub unum quasi adspectum subiicimus, ut rationem earum cognoscamus, elucet, Aeschylum, quamvis accurate naturam contemplatus sit et cogitatione perpolitas imagines, illam exprimentes, effinxerit, maxime quidem excellere earum audacia, multo vero vinci a Sophocle, qui sciverit, cuiuslibet generis imaginibus non solum ornatum sermoni addere sed etiam, ut quaeque res postulaverit, ita auditorum animos modo excitare modo sedare. Neque solum universa translationum ratione inter se differunt poetae, sed etiam genere rerum, quas ad depingendas aptas iudicant. Aeschylus enim in iis tantum versatus, quae virorum studio digna sunt, neglexit saepissime tenerrima et libentissime sese ad magna, ne dicam, aspera convertit, et quum omnino noluisse videatur, subtilitate et blanda illa Sophoclis ratione animos commovere, aspernatus est sermonem illustrare translationibus, quae mollitiei quandam speciem prae se ferunt. Quamquam igitur facile est intellectu, ea de causa Aeschyleas imagines plerumque calore carentes haud ita accendere auditorum animos neque altiorem rerum comparatarum similitudinem assequi, tamen nemo negare possit, quascumque protulerit, plane eas non offendere rectam et sentiendi et dicendi rationem; immo omnes aptissimae et ita effictae sunt, ut poeta tam acerbitate quam granditate verborum nobilissimo dignae habendae sint. Iam vero priusquam ordinem secuti magnum numerum imaginum, quibus poeta expressit hominum vitam accuratius perlustramus, obiter attingenda sunt nonnulla verba ab initio quidem significantia res, quae cerni vel tangi possunt, postea vero ex communi dicendi usu translata ad alias infinitas res. Cuius generis sunt: *εὐπετῶς, δυςπετῶς, χαμαιπετὴς, σφάλλω, βαρὺς, βρίθω, πίπτω*, quod invenitur in Suppl. v. 82: *πίπτει ἀσφαλὲς οὐδ' ἐπὶ νώτῳ*: validi homines non concutiuntur fati impetu. Quibuscum conferendi sunt Sophocles in Aj. v. 1061 et Horatius in carm. III, 4, 65: vis consili expers mole ruit sua. Multo gravior est frequens librae translatio. Cuius exemplum invenitur in frgm. 296, ubi poeta effinxit, Iovem Achillis et Memnonis fortunam sic discernentem, ut utriusque pretio libra examinato illi victoriam destinaret. Eiusdem comparationis sunt verba *ῥέπω* (in Suppl. v. 390 *τῶν δ' ἐξ ἴσου ῥεπομένων*: si hae trutinae eodem pondere one-

rantur), *ἰσόῤῥοπος*, *διχοῤῥόπως* ambigue, *ἀντιῤῥέπω*, *ἐπιῤῥέπω* imponere vel molestum esse, denique *ἑτεροῤῥεπὴς*, dictum in Suppl. v. 388 de Iove, qui duas lances sustentatas alternatim sidere faciens postremo suum cuique tribuit; Mars vero vocatur eandem ob causam *ταλαντοῦχος ἐν μάχῃ* cf. Ag. v. 419 et Suppl. v. 791; hic enim libra signum est omnipotentis ac summi dei.

Praeterea transferuntur et quasi in alieno loco collocantur *πικρὸς*, *ὀξὺς*, *πικραινόω*, *ἀμβλὺς*, *κωφός*, *δριμὺς* similia verba. Cum cote hominum pectus laedente comparantur mala a Furiis immissa in Eum. v. 846, ut in eadem cote Fatum novas novorum criminum poenas acuit cf. Ag. v. 1502. At longum est, has translationes omnes afferre, quas nequaquam res accurate exprimere, immo summa tantum rerum attingere pro certo habemus. De rebus inanimis, quibus ne species quidem vitae relicta est, rarissime Aeschylus deprompsit imagines, itaque duas tantum afferre possumus, ferrum et sordes, quorum priori similis est vel Furia, scelestos homines interficiens vel vir fortitudine excelsus cf. Spt. v. 711; falsati nummi collatione usus est poeta in Ag. v. 372, eo enim exprimitur Paridis vita miserrima atque exsecratione, quam sibi sceleribus commissis optimo iure conscivit, fere combusta; atque similiter sordis similitudinem adhibet ad indicandum hominem detestabilem nefariumque (cf. Prom. v. 887, Spt. v. 327), et pulveris collationem ad describendas maximas divitias, quarum ruinae solem obscurant in Pers. v. 612.

Quo minus hoc rerum genere delectari potuimus, eo maiore voluptate profecto labimur ad eas imagines vel translationes, quae a vita humana repetitae sunt. At tantum abest, ut hoc genus ad faeces usque exhauriamus, ut neglectis curis vulnerantibus similibusque statim veniamus ad artis aedificandi similitudines. Enimvero quanta admiratione dignum esse videtur iuramentum tabulati compagibus firmati instar servatum! (Cf. Ag. v 1157. *πῆγμα γενναίως παγέν.*) Fictorem vero redolent verba chori in Spt. v. 335: Eteoclem nimis festinantem haud ita accurate et composite, ut deceat, suum pedem conficere; quibuscum comparandus est usus verbi *καταῤῥινέω* in Suppl. v. 717. Civium ordines raro tantum ad imagines exprimendas ab Aeschylo adhibitos esse, fortasse iam inde explicari potest, quod longe ab imaginandi facultate remoti, potius mente et cogitatione tenentur, ita ut vix apti esse videantur, quibus exempla hominum et rerum definiantur. In Ag. v. 629 dicitur, ignem et aquam antea sibi infestissima, iam foedere icto sibi invicem fidei pignora dare, perditura Argivorum exercitum, et similiter in Eum. v. 130 inducuntur somnus et labor coniuncti, ut Furias superent. Similitudinis vero alterum genus genuit poeta collatione dominorum et stellarum, quae tempora quasi suos servos dirigant in solio ipsae sedentes, cf. frgm. 250, ubi Sphinx vocatur canis dominatrix vel Pers. v. 747; illuduntur enim conata Xerxis audentis, Hellespontum quasi servum suum vinculis strictum tenere. Atqui servus miserabilis, quippe flagellam timens, simillimus est gallo alas subtrudenti cf. frgm. 462. Simili modo non solum equi vel asini vel boves, sed etiam calceus servi sunt. Multo audacius in Ag. v. 709 dictum est, miseriam Atridarum domum pervastantem atque evertentem esse quasi sacerdotem a deo immissum. In numerum vero proverbiorum adscribere, quod in Ag. v. 36 legitur, qui secreta eloqui vel nolint vel nequeant, eos ianuarii officio fungi, equidem vix dubito, praesertim quum eadem collatione etiam Sophocles in Oed. Col. v. 1052 usus sit, quocum cf. Aesch. frgm. 379. Praeterea in Ag. v. 970 narratur, morbum vicinum esse valetudinis uno pariete tantum ab ea separatum. Qua in similitudine saepius versatum esse poetam ostendunt Ag. v. 1612 et Choeph. v. 720. In priore enim fames contubernalis tenebrarum vocatur (apud Sophoclem Clytaemnestra dicit: *βλάβη ξύνοικος ἦν ἐμοί* cf. El. v. 785), in posteriore vero haec leguntur: *λύπη δ' ἄμισθός ἐστί σοι ξυνέμπορος*, ita ut facile sit intellectu, obiter tantum rationem, quae inter sodales esse soleat, attingi. Magis certe cum nostro sentiendi ac cogitandi modo congruit, si in Spt. v. 916 chorus gladium discidia

inter fratres exorta his necatis componentem appellat hospitem, qui ab Oedipo sibi mandata probe exegerit, vel si eidem arbitri officium tribuitur in Spt. v. 883. Difficilior explicatu vero est Ag. v. 57 maxime ea de causa, quod de verbis τῶνδε μετοίκων valde dubitandum est, utrum ad praecedentia pertineant, ita ut questum de raptis pullis exprimant, an imagine quodammodo interrupta cum sequentibus coniungenda sint. Postquam igitur interpretes de hac verborum comprehensione diutissime disputaverunt, Hermannus litem, ut equidem puto, diiudicavit assentiens sententiae eorum, qui putant, his verbis sequentia ad priora quasi annecti, et aquilas suo foetu orbatas μετοίκους appellari, id quod eo aptius videtur, quoniam μέτοικοι voc. proprie significat eos homines, qui domicilio suo privati sunt et postea demum ad genus illud incolarum translatum est. In tanta varietate similitudinum vix mirari possumus, si interdum etiam imagines repetitae sunt a vestimentis, quibus nuntiis quasi ac praeconibus homines uti soleant ad indicandum suorum animorum habitum. Inde factum est, ut nigro vestimento quasi indueretur Furiarum iter, per obscura ferens et scelestos luctu afficiens cf. Eum. v. 367 et Prom. v. 22. Verba δνοφερὰ καλύπτρα in Choeph. v. 798 varie interpretantur viri docti; Hermanno enim videntur de tumulo, Schuetzio de miseria esse dicta. Tumulus vero in Ag. v. 839 vocatur amiculum triplex ex lege illa praecipiente, ut cuiusvis cadaveri tres glebae iniiciantur. Paucae tantum, quoad video, supersunt imagines, quae, quo longius a ceterarum ratione absunt, eo magis nos delectant, quippe quum redoleant Sophocleum illud dicendi genus insigne non minus subtilitate quam sublimitate, qua optime cogitata ita exprimuntur, ut auditorum animi vere recreentur. Etenim quem non delectaverit oraculum nos ipsos adspiciens eo modo, quo deceat sponsam per vela pavide suspicientem in dilectum desideratumque sponsum? cf. Ag. v. 1138. Neque minoris est comparatio (in Choeph. v. 62) virginis virginitate privatae cum caede, cuius utriusque nullum sit remedium. Cognatus vero appellatur fatalis ille crinis, qui in sepulcro Agamemnonis invenitur (cf. Choeph. v. 222); tamquam avus salutatur lux in Ida monte exoriens, cui flammae per omnes insulas accensae succedunt in Ag. v. 296. Aliae imagines vero, quales sunt superbia impietatis filia in Ag. v. 453 vel pulvis sordis frater in Spt. v. 475 sine dubio Aeschyleae audaciae condonandae sunt. Postquam iam congessi, quascunque apud Aeschylum invenire potui imagines et translationes, superest, ut quae disperse et diffuse dicta sint, unum in locum cogens atque unum sub adspectum subiiciens, breviter atque strictim exponam, quid in universum de Aeschyli figurata elocutione iudicandum sit. Apparet autem, eum redundare quasi imaginibus et similitudinibus admiratione dignissimis, quippe quum non minus audacia quam ut ita dicam, perspicuitate insignes sint. At tantum abest, ut ab omni parte perfectae sint atque perpolitae, ut raro se insinuent penitus in comparatas res, immo saepe negligant gravissima, quae inter utramque rem intercedant. Unde sequitur, ut omnia ita sint expressa, ut nobis videamur quidem ea cernere et paene tangere, at ab altera parte imagines obiter tantum rerum similitudinem attingentes haud ita animos nostros percutiant; neque enim in mente nostra considunt quasi, neque eam habent vim, ut, quaecumque in iis sint sententiae, eas probas ac iustas esse omnino nobis persuasum sit. Quae quum ita sunt fieri non potest, quin, quamvis magna earum pars nos delectet et sermonem illustret ornetque, eaedem tamen plerumque, quippe vitiosae et altius repetitae, auditorum animos quasi refrigerent et quamvis effervescentibus verbis usus sit poeta, tamen illae neque in ipsius animo impressae neque inustae studia nostra vix accendant. Atqui in Aeschylo inesse videtur, ut magis audacioribus et asperioribus verbis perturbans animos, eos a scelere et prava cogitandi vivendique via deterreat, quam ut lenissimam Sophoclis rationem secutus ad meliorem vitae modum eos perducat. Ideoque quod fabularum suarum ratione prorsus petierit, id quoque in sermone et in hominibus, quos loquentes induxit, eum persecutum esse facile intellectu est. Neque est, quod denuo exponam,

maximam imaginum partem deformare res, quas aut ipse per vitam cognoverit aut sui ipsius aequales, quae eorum erat vitae ratio, quotidiano quasi usu cognitas habuerint. Apparet autem Aeschylum, quaecumque inter illas intercedant similitudines, accuratius perspicere aspernatum, et curtam similitudinem arripientem perfectam et plenam contemplari omisisse. Et quidem plerumque in aspera tantum animum intendens iisque deformandis maxime versatus inde decerptas imagines adhibuit ad spectatorum animos frangendos, valde abhorrens a Sophocle, quippe qui etiam verborum ornatu vel asperrima quaeque ad suum modum revocare studuerit. Quae iam Aeschylei sermonis acerbitas verborumque audacia, ne dicam, negligens dicendi usus, gravissima signa sunt et notae, quorum ratione habita Aeschylo Asiatica illa dictio attribui potest; eadem vero respiciens iam Quintilianus (X, 1, 66) eum grandiloquum interdum ad vitium appellavit.

Corrigenda.

P. 2 v. 21 legas: in iis quoque, p. 3 v. 29 l. ἐτελέσθη, p. 5 v. 35 l. navi, p. 6 v. 38 l. quantumvis, p. 11 v. 16 l. dicto, p. 14 v. 39 l. fere.

Schulnachrichten

von Ostern 1868 bis Ostern 1869.

I.

Chronik der Anstalt.

Das verflossene Schuljahr ist in mehr als einer Beziehung für unsere Anstalt ein bedeutungsvolles gewesen, da dieselbe nicht nur theure Männer aus ihrer Mitte scheiden sehen mußte, sondern auch durch den Tod eines hochverehrten Vorgesetzten schmerzlich berührt wurde. An der Grenze des alten und neuen Schuljahres zunächst steht ein Ereigniß, welches nicht allein von Lehrern und Schülern tief empfundeu worden ist, sondern auch alle die, welche ein Herz für unsere Anstalt haben, mögen sie in Wittenbergs Mauern oder fern von hier weilen, mit theilnehmender Sorge erfüllt hat: der Abgang des Herrn Director Prof. Dr. Schmidt, welcher, nachdem er über 25 Jahre das Wittenberger Gymnasium mit reichem Segen und unter Gottes sichtbarem Beistande geleitet hatte, sein Amt Ostern vorigen Jahres niederlegte.

Was derselbe der Anstalt gewesen ist, in diesen Blättern mit vielen Worten zu preisen, muß der Unterzeichnete sich um so mehr versagen, als er weiß, daß er ihn damit nicht erfreuen würde; doch ziemt es wohl der Schule ein Wort treuesten und aufrichtigsten Dankes dem Manne nachzurufen, der ihr eine lange Reihe von Jahren mit einer Hingebung und Selbstverläugnung fast ohne Gleichen wahrhaft ein Vater gewesen ist, dessen Name in den weitesten pädagogischen Kreisen als eine hochgeachtete Autorität dasteht, dessen Verdienste um das Wittenberger Gymnasium die Geschichte der Pädagogik wie der Anstalt einst in ihrem vollen Umfange würdigen wird und dessen Scheiden aus dem Amte ja mit vollem Rechte von der Schule, von der ganzen Stadt und den Behörden schwer beklagt worden ist. Möge der theure, hochverehrte Mann, der jetzt nicht mehr in unserer Stadt weilt, bald wieder zu uns zurückkehren und fortfahren, mit seiner reichen Erfahrung der Schule zu nützen, welcher er zwar nicht mehr äußerlich angehört, aber mit seinem Herzen anzugehören niemals aufhören wird, und möge es ihm noch lange vergönnt sein, seine Muße auf ähnliche schriftstellerische Arbeiten zu verwenden, wie sie bisher der Wissenschaft nicht minder als der Schule in reichem Maße förderlich gewesen sind.

Wir lassen hier einen kurzen Lebensabriß des verehrten Mannes folgen, und können es uns nicht versagen, die uns von demselben auf unsre Bitte freundlichst mitgetheilten Notizen wörtlich wiederzugeben in der Hoffnung, dadurch seinen Verehrern in nähern und weitern Kreisen eine Freude zu bereiten.

„Geboren den 15. Februar 1801 zu Stavenhagen in Mecklenburg-Schwerin, wo mein Vater Pastor war, erhielt ich meinen ersten Unterricht in der sogenannten Rectorschule, über deren traurige Beschaffenheit zu jener Zeit Fritz Reuter in seinem Aufsatze „Meine Vaterstadt" das Nähere mitgetheilt hat, aus der aber doch jeder nicht ganz Unempfängliche einen großen Schatz: vertraute Bekanntschaft mit der Bibel, einfältigen Glauben an die in derselben erzählte heilige Geschichte und ehrfurchtsvolle Gesinnung gegen den großen Reformator unsrer Kirche, mit hinausnehmen konnte. Nebenbei wurde ich in Privatstunden, im Lateinischen, Französischen und in der Musik unterrichtet und Ostern 1814 auf das Gymnasium zu Parchim gebracht, auf dem mein Vater einst selbst gebildet war. Allein obwohl dieses noch von demselben Rector, unter dem es einst geblüht hatte, geleitet wurde, so war es doch ein ganz anderes geworden und ging. Jahre